Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

EXERCITATIONES ACADEMICÆ.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

EXERCITATIONES ACADEMICÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

ED. SANDIFORT,

MEDICINÆ, ANATOMES, ET CHIRURGIÆ, IN ACADEMIA BATAVA, QUÆ LEIDÆ EST, PROFESSORIS,

EXERCITATIONES ACADEMICÆ.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD {S. ET J. LUCHTMANS, P. V. D. EYK ET D. VYGH.} 1783.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Datam fidem omnino non exſolverem, ſi, in lucem emiſſo quarto Obſervationum Anatomico-Pathologicarum libro, editoque in integrum hocce opus indice, qui mihi ſuperſunt, qui ſeſe in poſterum offerent, caſus notatu dignos non communicarem, ſed proprios tantum in uſus adſervarem; prodit itaque nunc, mutato ſolum titulo, dictarum Obſervationum continuatio, in qua edenda eundem mihi præfixi ſcopum, quem ferire conatus ſum, quum anatomicas ac pathologicas annotationes, auditorum præſertim in uſum, divulgare incepi. Ut autem diverſi generis obſervata, quæ in diſſectionibus quotidie occurrunt, enarrabo, &, ſi neceſſe videatur, figuris illuſtrabo, non infimum tamen locum occupabunt ea, quæ circa morboſas oſſium degenerationes ab oblivione eripienda eſſe, puto. Sunt in proprio, ſunt in Rauiano & Albiniano, qui in Theatro Anatomico noſtro adſervantur, theſauris Anatomicis talia horum oſſium Specimina, quæ in aliis fruſtra quæruntur, quæque vel tanto magis merentur depingi, quoniam hoc in campo hactenus laborarunt pauci, & hoc tamen fundamento morborum, quibus oſſa

adſici

Digitized by Google

adſici ſolent, natura nititur, ſic ut rite expoſitis mutationibus, quæ in oſſibus obſervantur, pathologia non parvum accipiat incrementum. Talia nonnulla, certe non admodum vulgaria, dexterrima peritiſſimi Artificis Abrah. Delſos manu, quam exactiſſime delineata, primo hocce libro offero, talia, jam parata, & omni attentione digna, vitam largiente Summo Numine, ſecundus continebit, ejusdemque generis alia, quæ vel jam ad manus ſunt, vel benevola amicorum communicatione pervenient, ab Eodem delineari curabo; ut hoc labore, tabulisque morboſorum oſſium, quas ab amiciſſimo & doctisſimo, Athenæi Amſtelædamenſis Profeſſore Clarisſimo, Bonn avide expectamus, hæc etiam pathologiæ pars perfectior reddatur.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIONES ACADEMICÆ.

CAPUT PRIMUM.

De anchyloſi cranii & atlantis.

Quamvis Columbus inter ea, quæ raro in Anatome reperiuntur, & ultimo operis ſui libro deſcripſit, annotaverit, ſe primam vertebram occipitio ita adhærentem vidiſſe, ut moveri neutiquam potuerit (*a*); & pauci alii de ſimili vitio egerint, videtur tamen hæcce Anchyloſis non adeo infrequens, oculis enim, dum hæc ſcribo, obverſantur quinque crania, quibus Atlas tam firmiter adhæret, ut moveri nullo modo poſſit, ſed hæc tamen ſimul docent, variis modis, hactenus non annotatis, hanc concretionem fieri, quæ ratio, quod cuncta hæc ſpecimina deſcribere, trium vero

(*a*) De re Anatomica. Venetiis 1559. pag. 263.

Digitized by Google

vero, maxime inter ſe diſcrepantium, craniorum icones dare, decreverim.

Differunt hæc crania inſigniter inter ſe. Primo loco memorandum, magnum, ponderoſum, hominis adulti eſt, cui non tantum inciſores & canini dentes perierunt, verum etiam molares omnes, & alveoli jam penitus deſtructi ſunt, ſic ut de latitudine ſua multum amiſerit maxilla ſuperior. Adeſt diſtantia inſignis inter arcum priorem Atlantis, & marginem oſſis occipitis, qui anteriorem foraminis magni partem format; diſtat etiam arcus poſterior, & hic loci hiatus notabilis datur. Condylus oſſis occipitis dexter admittitur quidem a ſinu, in latere eodem Atlantis obvio, ſed ſic, ut nullibi cohæreat, parum magis, quam cæterum ſolet, introrſum, id eſt, verſus foramen magnum, prominens. Sed alio longe modo in ſiniſtro latere comparata hæc articulatio eſt. Nexu, plane immobili, cohærent partes, huic articulo inſervientes, effuſaque tum extrorſum tum introrſum eſt oſſea ſubſtantia, quæ ſeſe extendit ad illum usque locum, glabrum, ſinuatum, in parte interiore arcus anterioris Atlantis inveniendum, cui accumbit dens Epiſtro-

Digitized by Google

ſtrophei, ſic ut diſtantia, quæ inter duos condylos hac anteriore in parte eſſe ſolet, etiam imminuta ſit. Quæ datur inter os occipitis & arcum primæ vertebræ anteriorem, diſtantia duas octavas pollicis rhenolandici partes ſuperat; inter idem os & arcum poſteriorem Atlantis uni tali parti ferme æqualis invenitur. Vertebra in latere ſiniſtro parumper anteriora verſus eſt converſa, & proceſſus transverſi apex, in quem radices duæ, relicto foramine, confluunt, in latere dextro in eadem ferme linea eſt cum proceſſu mammillari, in ſiniſtro vero multo magis verſus anteriora dirigitur. Quum autem inæqualiter prominet in dicto latere oſſea ſubſtantia verſus foramen magnum, ibi loci diſtantia ab uno latere in alterum ſex octavas pollicis partes non ſuperat, dum tamen diſtantia inter Atlantis proceſſus obliquos deſcendentes, qui cum Epiſtropheo conjunguntur, ferme integri pollicis eſt.

Quod, in deſcripto cranio, in ſiniſtro latere locum habet, in alio capite, vetulæ ut videtur, edentulæ, cujus ſuturæ ferme omnes perierunt

Digitized by Google

runt (*b*), in dextro obtinet. Deleta penitus Atlantis cum oſſe occipitis articulatio dextra, & oſſea ſubſtantia tanta copia effuſa eſt, ut partes oſſis occipitis ab iis, quæ ad primam pertinent vertebram, diſtinguere non liceat. In oppoſito latere vertebra plane libera eſt, imo potius a condylo oſſis occipitis remota, dum tota vertebra ſic quaſi contorta eſt, ut & anteriora & inferiora verſus dirigatur, in latere dextro inter Atlantem & marginem foraminis magni oſſis occipitis diſtantia ſit trium octavarum pollicis partium, in latere oppoſito pollicis dimidii; unde caput, Atlanti innitens, verſus dextrum latus inclinat, & foramen Atlantis cum foramine oſſis occipitis non plane reſpondet.

In utroque latere alius cranii (*c*) vera anchyloſis adeſt. Hoc in capite os frontis ſuturâ, ad naſi oſſicula usque procurrente, ſed non in eâdem

(*b*) De luſibus naturæ, quoad ſuturas cranii, a me aliisque obſervatis, conferantur Obſervationes Anatomico-Pathologicæ Lib. 3. pag. 103. Lib. 4. pag. 133.

(*c*) Vide Tab. I. Fig. 1.

Digitized by Google

dem lineâ cum ſagittali obviâ, diviſum eſt (*d*); ceciderunt dentes omnes, inciſores, canini, molares, perierunt alveoli plurimi. Atlas (*e*) cum condylis oſſis occipitis concrevit firmiter in dextro latere (*f*), paulo minus in ſiniſtro (*g*), ſic ut, vi adhibita, dubium quodammodo motum admittere videatur. Arcus & anterior (*h*), & poſterior (*i*), dictæ vertebræ diſtant a margine oſſis occipitis (*k*), quartam pollicis partem, & hiatus eapropter utrobique relinquitur inſignis. Ubi condyli dantur, effuſa tum extrinſecus tum intrinſecus (*l*), & de oſſe occipitis & de Atlante, oſſea materia eſt tali copia, ut, & a parte foraminis magni & a parte oppoſita, inæqualitates inſignes dentur, præſertim a latere interiore condyli ſiniſtri (*m*), qui tamen in parte exteriore a ſinu Atlantis magis diſtingui poteſt, quam in latere oppoſito, licet ibi & in condylo & in ſinu inæqualitates dentur, quæ ſeſe excipiunt. In dex-

(*d*) Conf. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 3. pag. 111.
(*e*) Tab. I. Fig. 1. n. n.
(*f*) Tab. I. Fig. 1. t. t.
(*g*) Tab. I. Fig. 1. u. u.
(*h*) Tab. I. Fig. 1. o. o.
(*i*) Tab. I. Fig. 1. q. q.
(*k*) Tab. I. Fig. 1. m. m. m.
(*l*) Tab. I. Fig. 1. t. t. u.
(*m*) Tab. I. Fig. 1. u.

Digitized by Google

dextro latere oſſea ſubſtantia effuſa eſt usque ad foramen, quod pone condylum datur, & vertebralem transmittit venam (*n*). Ut totum caput, ſic vertebra præcedenti minor, nec tantum ſuo loco mota, forte parum magis, quam ſolet, verſus anteriora tendens. Videtur maxilla inferior, quæ deëſt, in ſuis condylis etiam laboraſſe, ſinus ſaltem, qui in utroque oſſe temporis adſunt (*o*), ut condylos illos admittant, multo majores exiſtunt, maxime inæquabiles, & extrinſecus prominente margine cincti, eminentiis diverſis aſperi, & quaſi carioſi; periit tuberculum, quod ante utrumque hunc ſinum adeſſe ſolet, & ad quod dictus condylus etiam movetur, quales certe degenerationes locum habere nequeunt, niſi ſimul condyli maxillæ inferioris mutentur.

Admodum notabile cranium, craſſum, durum, viri ut videtur, eſt, quod eadem, qua præcedens, tabula (*p*) delineatur. Dentes licet ceciderint, alveoli tamen omnes adſunt. Non tantum anchyloſis

(*n*) Tab. I. Fig. 1. t. inf. (*o*) Tab. I. Fig. 1. l. l.
(*p*) Tab. I. Fig. 2.

Digitized by Google

loſis oſſis occipitis & Atlantis datur, ſed in lateribus depreſſa adeo calvariæ baſis eſt, in medio ſic adſurgit, ut prima vertebra ipſa baſi quaſi comprehendatur, & intra eam delitescat. Arcus prior Atlantis (*q*) magis verſus anteriora promotus eſt, & cum oſſe occipitis cohæret; confluxerunt condyli oſſis occipitis cum ſinibus in Atlante obviis, ſed tantummodo a parte anteriore; pars enim poſterior illorum condylorum libera eſt, imo a dictis ſinibus remota, ut quodammodo in latere ſiniſtro (*r*) conſpicitur. Arcus Atlantis poſterior (*s*) partim liber eſt, partim cum occipite confluxit; a latere quippe ſiniſtro tuberculi, quod in Atlante loco proceſſus ſpinoſi inveniri ſolet, lamina oſſea (*t*) producitur, in os occipitis (*u*) evanescens. Tantopere autem depreſſa cranii baſis in lateribus eſt, ut a linea, ab apice unius proceſſus mammillaris in alterius apicem (*v*), ducta, Atlantis arcus poſterior (*w*) quinque octavas pollicis rhenolandici partes diſtet; arcus anterior (*x*) circiter pollicem;

(*q*) Tab. I. Fig. 2. q.
(*r*) Tab. I. Fig. 2. s.
(*s*) Tab. I. Fig. 2. r. r.
(*t*) Tab. I. Fig. 2. o.
(*u*) Tab. I. Fig. 2. b. b.
(*v*) Tab. I. Fig. 2. e. e.
(*w*) Tab. I. Fig. 2. n. n.
(*x*) Tab. I. Fig. 2. l.

Digitized by Google

licem; & proceſſuum transverſorum partes poſteriores (*y*), latitudine inſignes, oſſibus temporum, quibus accumbunt, foveam (*z*) quaſi impreſſerint, ſaltem in tali fovea quaſi comprehendantur; hinc ea pars cranii, quæ ex parte anteriore oſſis occipitis, cum baſi oſſis multiformis & oſſibus petroſis nexa, fit, cuique accumbere ſolet medulla oblongata, inſigniter intra cerebri conceptaculum adſurgit, & ad partem ſuperiorem cranii, ubi oſſa verticis per ſuturam ſagittalem uniuntur, tantopere accedit, ut diſtantia inter hæc oſſa verticis & marginem foraminis magni anteriorem, tres pollices cum dimidio non ſuperet, quæ diſtantia in aliis craniis quinque pollices æquare ſolet; foraminum nonnullorum directio hinc mutata eſt. Verum, quantum, hac de cauſa, cranii capacitas ab anteriore & præcipue in medio amiſit, tantum adaucta in parte poſteriore eſt. Prominent quidem inſigniter intra illam oſſis occipitis partes, quæ mox pone condylos inveniuntur, ſed a parte poſteriore & laterali cranium inſigniter expanſum eſt. Alium ergo, quam habere ſolet,

(*y*) Tab. I. Fig. 2. q. q. (*z*) Tab. I. Fig. 2. r. r.

Digitized by Google

let, ſitum acquirere debuit cerebrum; lobos certe ipſius poſteriores ſolito dimiſſiorem occupaſſe locum, docent veſtigia ſinuum transverſorum, quæ ab oſſibus petroſis non retrorſum ferme recta via incedunt, ſed inſigniter deſcendunt, & proceſſuum transverſorum decurſum non naturalem fuiſſe, probant. Sinus frontalis in utroque latere amplus exiſtit, diſtat externa oſſis lamina ab interna tres octavas pollicis partes; uterque in quatuor cellulas, non tamen plenarie, diviſus eſt, dantur enim in utroque latere tria ſepimenta, ſed hæc ſuperiorem tantummodo locum occupant, fundum vero non attingunt (*a*). Pone proceſſus mammillares ſinus invenitur, qui ſeſe in utroque latere extendit ad inciſuram, unde Biventer maxillæ inferioris exoritur, quæque hinc aliam acquiſivit figuram. Occaſionem hujus cranii deſcribendi & delineandi ſuppeditavit Vir Doctiſſimus, Bleuland, Poliater Goudanus, cui & illud, quod capite tertio proponitur, debeo.

Ab

(*a*) Varietates horum, reliquorumque ſinuum, qui in oſſibus capitis adeſſe ſolent, multas enarravi Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 1. pag. 102. Lib. 3. pag. 121.

Digitized by Google

Ab iis, quas hactenus memoravi, cranii & Atlantis anchyloſibus differt ea, cujus deſcriptionem (*b*) nunc ſubjungam. Hæc quippe docet, etiamſi condyli oſſis occipitis & ſinus Atlantis, hos condylos excipientes, bene ſint conformati, tamen ſic Atlantem cum cranio poſſe concreſcere, ut immobilis plane perſiſtat. Dicti condyli firmiter quidem ſinibus, in Atlante inveniendis, appreſſi ſunt, ſed vix ullibi cum iisdem concreti; ſinus in Atlante ſolummodo parum mutati, &, forte ex appreſſione validiore, retrorſum in mucronem, vel parvam exoſtoſin, præcipue in dextro latere, producti, quod tamen in figura non adeo exacte exprimi potuit. Verum ex oſſe occipitis (*c*), in quoque latere, medio ferme inter foramen magnum & nexum cum parte mammillari oſſium temporum loco, proceſſus exſurgit (*d*), dimidium pollicem longitudine ſuperans, qui in latere dextro (*e*) ad ramum poſteriorem proceſſus transverſi Atlantis (*f*) accedit,

(*b*) Tab. II. Fig. 1.
(*c*) Tab. II. Fig. 1. e. e.
(*d*) Tab. II. Fig. 1. l. m.
(*e*) Tab. II. Fig. 1. l.
(*f*) Tab. II. Fig. 1. k.

Digitized by Google

dit, & cum eo cohæret, ſic tamen, ut linea diſtinguens circumcirca appareat; contra in latere ſiniſtro (*g*) dictus proceſſus non tantummodo cum ramo poſteriore transverſi proceſſus (*h*) confluxit penitus, ſed & cum apice, in quem anterior & poſterior ramus deſinunt, ſimilis tamen linea, aſt paulo minus diſtincta, qualis in nexu proceſſus dextri cum ramo poſteriore proceſſus lateralis Atlantis datur, apparet, ubi proceſſus ex ſiniſtra parte oſſis occipitis prodit. Inter illos proceſſus in quoque latere foramen relinquitur, per quod arteriæ vertebrales, per foramina proceſſuum transverſorum vertebrarum colli adſcendentes, ſeſe inflectebant, ut foramen magnum attingerent (*i*). Atlantis arcus anterior (*k*), ad cujus ſinum internum (*l*) dens Epiſtrophei olim accedebat, magis verſus anteriora, quam ſolet, procurrit, & prope marginem foraminis magni, magis a ſiniſtro, quam a dextro latere, parva conſpicitur exoſtoſis (*m*).

In

(*g*) Tab. II. Fig. 1. m.
(*h*) Tab. II. Fig. 1. k. fin.
(*i*) Tab. II. Fig. 1. n. n.
(*k*) Tab. II. Fig. 1. f.
(*l*) Tab. II. Fig. 1. g.
(*m*) Tab. II. Fig. 1. o.

In hoc cranio proceſſus clinoïdei poſteriores, prioresque, alteri in alteros mucronem dirigunt, & eos conjungunt in ponticuli ſpeciem; præterea ex baſi pars oſſea ad conjunctos hoſce proceſſus accedit, illosque in uno latere attingit, in altero parum ab illis diſtat, ſic ut in altero latere tria diſtincta dentur foramina, in altero duo, quorum maximum pro parte diviſum eſt (*n*).

Poſſedit olim, in ſua morboſorum oſſium collectione, duas cranii & Atlantis anchyloſes Hunauld (*o*), indeque una in Muſeum Regium pervenit (*p*), tota vero collectio ab Academia Regia Scientiarum emta dicitur (*q*). Tabarrani vidit non tantum talem anchyloſin, breviterque deſcripſit (*r*), verum ſimul fatetur, ſibi Flo-

(*n*) Conf. Obſervat. Anatom. Pathologic. Lib. 3. cap. 10. pag. 126.
(*o*) Bertin Traité d'Oſteologie. Tom. 3. pag. 80.
(*p*) Sabatier de ontleedkunde volleedig verhandeld. I. D. pag. 143.
(*q*) Memoires de l'Academie Royale des Sciences l'an. 1742. pag. 289. Edit. Amſt.
(*r*) Atti d'ell' Accademia delle ſcienze di Siena detta de fiſio-critici Tom. 3. App. pag. 36. 37. & not. b.

Digitized by Google

Florentiæ duo tali morbo adfecta crania eſſe exhibita, tanto majori attentione digna, quia alterum erat pueri decem annorum, alterum hominis, viginti & quatuor annos nati, ex phthiſi pulmonali mortui. Atlas cum condylis alterius cranii ſic erat concretus, ut linea quædam diſtinguens, ſutura quaſi ſpuria, ſupereſſet; ab anteriore & a poſteriore libera erat vertebra, a poſteriore tamen non niſi fiſſura ſupererat, ſic ut credibile eſſet, oſſa & ibi loci, ſi excreſcere potuiſſent, fuiſſe coalita. In altero cranio atlas non tantum cum condylis oſſis occipitis concreverat, verum pars anterior arcus ipſius ſic cum oſſe occipitis cohærebat, ut nulla ſupereſſet apertura; a parte poſteriore parvus conſpiciebatur hiatus, quinque lineas vix ſuperans, inter Atlantem & mediam oſſis occipitis partem, ob defectum in Atlantis arcu poſteriore.

CAPUT SECUNDUM.

De ſingulari oſſis occipitis & atlantis confluxu.

In adultiori non tantum, ſed & in juniori, ætate cranium cum Atlante concreſcere, & diverſis quidem modis, ſic ut vel alter condylus cum ſinu Atlantis cohæreat, vel ambo cum eodem connexi ſint, vel arcus cum margine foraminis magni copulentur, vel proceſſus, nunquam in naturali ſtatu obvii, deſcendant ad proceſſus transverſos Atlantis, præcedenti capite conſtitit. Verum multo rariori & vix deſcribendo modo dicta oſſa poſſe confluere, cranium, de quo hoc capite agam, quodque exactiſſime delineatum eſt (*a*), probabit.

Caput hocce junioris hominis eſt, adſunt alveoli omnes integri, ſuturæ admodum laxæ ſunt; procurrente ſagittali frontis os in duas partes diviſum eſt; in nexu proceſſus lateralis os-

(*a*) Tab. II. Fig. 2.

Digitized by Google

oſſis multiformis, partis ſqammoſæ oſſis temporis, & oſſis verticis, diſtinctum oſſiculum (*b*) conſpicitur. Atlas ſingulari admodum ratione cum oſſe occipitis confluxit (*c*). Pars hujus oſſis occipitis, quæ foramen magnum ambit (*d*), miro modo mutata eſt, & aliam figuram, quam habere ſolet (*e*), foramen illud offert. Vertebra verſus latus ſiniſtrum propulſa cernitur, & arcus anterioris pars ſiniſtra, quæ radici anteriori proceſſus transverſi (*f*) originem præbet, magis verſus anteriora dirigitur. Condyli oſſis occipitis in Atlantis ſinus videntur quaſi confuſi. Arcus Atlantis anterior (*g*) cum ora foraminis magni concrevit, non tamen ubique eodem modo, etenim inter partem, cui ſinuatæ intrinſecus dens Epiſtrophei accumbit (*h*), & proceſſum transverſum dextrum (*i*), ſic cohæret cum oſſe occipitis, ut diſtinctionis nota nulla appare-

(*b*) Conf. Obſerv. Anatom. Patholog. Lib. 3. pag. 115. Lib. 4. pag. 134.

(*c*) Tab. II. Fig. 2. i. k.

(*d*) Tab. II. Fig. 2. g. h. h. l. m. n. o. p. q.

(*e*) Conf. Tab. I. Fig. 1. Tab. II. Fig. 1.

(*f*) Tab. II. Fig. 2. q.

(*g*) Tab. II. Fig. 2. i.

(*h*) Tab. II. Fig. 2. k.

(*i*) Tab. II. Fig. 2. o.

Digitized by Google

reat; inter partem vero dictam, & proceſſus transverſi ſiniſtri radicem priorem (*k*), cohærent quidem dicta oſſa, ſed tali ratione, ut fovea ſatis profunda remaneat, quam in figura exprimere non licuit: redditur hinc ora foraminis magni valde inæquabilis. Arcus poſterioris pars altera, eaque dextra (*l*), evanuit in marginem foraminis magni oſſis occipitis, eumque hac in parte undulatum reddidit; altera pars ejusdem arcus, ſiniſtra (*m*), tenuiſſima eſt, ſed parumper diſtat ab ora dicti foraminis, & plane ab eadem diſtincta eſt. Proceſſus transverſus Atlantis dexter (*n*) plane coalitus eſt cum oſſe occipitis, & nulla diſtinctionis nota apparet, niſi quod paulo magis promineat, ſiniſter vero hicce proceſſus (*o*), cujus radix poſterior ſola ſupereſt, in foveâ, oſſi occipitis impreſſâ, deliteſcit, ſic tamen ut cum ea non cohæreat. Superficies (*p*), cum quibus corpus Epiſtrophei cohæſit, longe alio modo ſeſe habent, quam in ſtatu naturali

(*k*) Tab. II. Fig. 2. q.
(*l*) Tab. II. Fig. 2. l.
(*m*) Tab. II. Fig. 2. m.
(*n*) Tab. II. Fig. 2. o.
(*o*) Tab. II. Fig. 2. p.
(*p*) Tab. II. Fig. 2. n.

Digitized by Google

li (*q*), ſunt ferme tali ratione factæ, ac eſſe ſolent illæ, quæ cum condylis oſſis occipitis conjunguntur, & in ſuperiori ea propter parte Atlantis adeſſe debent (*r*), hinc ſuperficies in corpore Epiſtrophei, articulationi inſervientes, etiam alio modo conſtructæ fuerunt. Foramina denique, quæ nonum par nervorum transmittunt, ut & illa, quæ venis vertebralibus deſtinata ſunt, præter naturam ſeſe habent, & aliam directionem ſervant, quod ex mutato ſitu & nexu *Atlantis* profluit.

Differre hanc partium concretionem maximopere ab iis, quæ primo capite deſcriptæ ſunt, cuique liquet. An hoc in caſu jam a nativitate inſoliti quid locum habuit?

(*q*) Conf. Tab. I. Fig. 1. s. s. Fig. 2. p. p. Tab. II. Fig. 1. i. i. Albini Tab. Oſſium Tab. X. Fig. 10. w. A. Veſalii Tab. Oſſium Tab. XIV. Fig. 4. Y.

(*r*) Conf. Albini Tab. Oſſium. Tab. X. Fig. 9. x. y. z. A. Veſalii Tab. Oſſium Tab. XIV. Fig. 2. 3. 10. 11. *N.*

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

De plenaria, eaque rariſſima, cranii, atlantis, & epiſtrophei concretione, illarumque vertebrarum dislocatione.

Cranii & Atlantis anchyloſes, licet non quotidie occurrant, ſæpius tamen fuerunt viſæ, quam oſſis Occipitis, Atlantis, & Epiſtrophei concretiones; rarius tales ſunt obſervatæ, rariſſime deſcriptæ. Exſtat exemplum in Muſeo Regis Galliarum, tanto majori attentione dignum, quoniam vertebra ſecunda non tantum cum prima concrevit, ſed illa etiam ſedem ſuam reliquit & retrorſum pulſa eſt, ut vix ſpatium trium linearum ſuperſit, inter dentem Epiſtrophei & arcum poſteriorem Atlantis, præterquam quod ſecunda vertebra parum verſus latus ſiniſtrum inclinata eſt. Luxatione dictam vertebram ex ſuo naturali loco fuiſſe dimotam, ex ſententia virorum celebrium, qui dicti Muſei deſcriptionem dederunt, intelligitur, ſed vix concipi poſſe putant, hominem tam

tam diu potuiſſe vivere, ut anchyloſis formata ſit, cui adeo arctatum vertebrarum ſpecu, adeo compreſſa medulla ſpinalis fuit (*a*).

In cranio, quod delineatum Tabula tertia ſiſtit, & cujus deſcribendi occaſionem mihi præbuit amiciſſimus Poliater Goudanus, Bleuland, Atlas (*b*) ſedem ſuam naturalem reliquit, præternaturalem locum etiam occupat Epiſtropheus (*c*), & duæ hæ vertebræ non tantum inter ſe, ſed & cum cranio, concreverunt. Atlantis ſinus dexter, qui cum condylo oſſis occipitis, mobili cæterum articulo, nexus eſt, cum condylo illo non concrevit, verum ab eodem receſſit (*d*), & verſus poſteriora tendit, ſic ut condylus hujus lateris magis extenſus & expanſus ſit. In oppoſito vero latere ſinus dictus condylo non tantummodo firmiter appreſſus eſt (*e*), ſed & cum illo condylo, ultra quem parum verſus anteriora procedit, confuſus, & hoc in latere vertebra

(*a*) Hiſt. Natur. avec la deſcription du Cabinet du Roy. Tom. 5. pag. 129. Edit. in 8vo.

(*b*) Tab. III. Fig. 1. b–k. Fig. 2. o–x. Fig. 2. e–m.

(*c*) Tab. III. Fig. 1. l–p.

(*d*) Tab. III. Fig. 2. d.

(*e*) Tab. III. Fig. 2. g.

bra ſic compreſſa eſt (*f*), ut multo tenuior, quam in latere oppoſito (*g*), videatur. Arcus anterior Atlantis ab oſſe occipitis plane liber eſt (*h*); ſic & arcus poſterioris latus dextrum (*i*), usque ad illud tuberculum, quod ipſi loco proceſſus ſpinoſi eſt (*k*); diſtat hocce latus multum ab ora foraminis magni (*l*), & tuberculum dictum magis, quam ſolet, elongatum cum media parte oræ foraminis magni cohæret (*m*). Latus ſiniſtrum arcus poſterioris margini dicto appreſſum eſt (*n*), & vix ulla diſtantia inter illud atque eum marginem datur, imo variis in locis concrevit hocce latus cum oſſe occipitis, ſic tamen, ut via libera remanſerit pro arteria vertebrali, quæ, ex foramine proceſſus transverſi Atlantis egreſſa, ſeſe inflectit, ut magnum oſſis occipitis foramen attingat, illudque intret, cui vaſi in oppoſito latere via multo liberior relicta eſt (*o*). Ex dicta mutatione Atlantis, quoad ſitum, ſequitur, quod fora-

(*f*) Tab. III. Fig. 2. g.
(*g*) Tab. III. Fig. 2. f.
(*h*) Tab. III. Fig. 2. e.
(*i*) Tab. III. Fig. 1. b. Fig. 2. m.
(*k*) Tab. III. Fig. 1. c.
(*l*) Tab. III. Fig. 1. a. a.
(*m*) Tab. III. Fig. 1. c. d.
(*n*) Tab. III. Fig. 1. f.
(*o*) Tab. III. Fig. 1. e.

Digitized by Google

ramen magnum oſſis occipitis non plane reſpondeat cum foramine vertebræ primæ.

Epiſtropheus (*p*) magis verſus ſiniſtrum latus propulſus eſt; ſuperficies articularis (*q*), quæ a latere dextro dentis (*r*) eſt, verſus poſteriora receſſit, & illa, quæ in parte inferiore Atlantis huic ſcopo inſervit (*s*), pro parte nuda conſpicitur; proceſſus ſpinoſus (*t*) a media oſſis occipitis, quod ferme attingit, linea (*u*) diſtat dimidium pollicem. Inter dentis partem lateralem dextram, & dictam ſuperficiem inferiorem Atlantis (*v*), magnum ſpatium relinquitur; in oppoſito autem latere vix ullum, etenim dens concrevit cum parte laterali ſiniſtra arcus anterioris Atlantis (*w*), & ad illam usque ſuperficiem hujus primæ vertebræ pertingit (*x*), quæ naturaliter cum Epiſtrophei corpore (*y*) connectitur, imo ille dens quo-

(*p*) Tab. III. Fig. 1. l—r. Fig. 2. o—z.

(*q*) Tab. III. Fig. 2. q.

(*r*) Tab. III. Fig. 2. o.

(*s*) Tab. III. Fig. 2. h. Fig. 1. k.

(*t*) Tab. III. Fig. 1. m. Fig. 2. y.

(*u*) Tab. III. Fig. 1. d.

(*v*) Tab. III. Fig. 2. n. inter o. & h.

(*w*) Tab. III. Fig. 2. g.

(*x*) Tab. III. Fig. 2. i.

(*y*) Tab. III. Fig. 2. r.

Digitized by Google

quodammodo cum margine foraminis magni oſſis occipitis cohæreat.

In latere dextro Epiſtropheus (z) ab Atlante (a) liber eſt, arcus autem ipſius poſterior prope proceſſum ſpinoſum (b), & tuberculum Atlantis (c), cum hujus arcu concrevit, & dictus ſpinoſus Epiſtrophei proceſſus (d) tantopere verſus ſiniſtrum latus dimotus eſt, ut os occipitis ferme attingat. Latus ſiniſtrum Epiſtrophei (e) ab arcu Atlantis (f) liber eſt. Illa porro pars ſecundæ vertebræ, quæ cum corpore tertiæ vertebræ olim committebatur (g), a naturali ſanoque ſtatu maxime degenerat, & in duas inæqualitates (h), exoſtoſes quaſi, in latere dextro conſpicuas, excrevit; unde ſequitur, ſuperficiem ſuperiorem corporis tertiæ vertebræ etiam maximopere fuiſſe mutatam, idemque hic contigiſſe, quod in Scolioſi obſervari ſolet, ab altera nempe parte corpora vertebrarum compreſſa tenuiora reddi, ab al-

(z) Tab. III. Fig. 1. q.
(a) Tab. III. Fig. 1. b.
(b) Tab. III. Fig. 1. m.
(c) Tab. III. Fig. 1. c.
(d) Tab. III. Fig. 1. m. Fig. 2. s.
(e) Tab. III. Fig. 1. r.
(f) Tab. III. Fig. 1. f.
(g) Tab. III. Fig. 1. l. l.
(h) Tab. III. Fig. 1. l.

altera vero, ubi minorem perferre preſſionem debent, intumeſcere, ſed ſimul ſpongioſiora fieri (*i*). Proceſſus transverſi (*k*) alio modo ſeſe habent, quam in ſtatu ſano, multo magis verſus poſteriora ſeſe extendunt; foraminum, in iis obviorum (*l*), directio mutata eſt; diſtinctio vix ulla conſpicitur inter illos atque ſuperficies, quæ committuntur cum obliquis adſcendentibus vertebræ tertiæ (*m*), & hæ ſuperficies aliam etiam figuram monſtrant. Foramen in Epiſtropheo non tantum non communicat *cum foramine Atlantis*, ſed tantum ab eo receſſit, ut ſpatium pro transeunte medulla ſpinali relictum ſit valde exiguum, dum enim diameter transverſa in Atlante eſt unius pollicis, diſtantia inter latus dextrum Epiſtrophei & ſiniſtrum Atlantis (*n*) dimidium pollicem vix ſuperat: in ſtatu autem naturali diameter transverſa canalis hoc in loco circiter pollici æqualis eſt.

Coa-

(*i*) Conf. Doct. a Roy egregia Diſſert. De Scolioſi. pag. 65.

(*k*) Tab. III. Fig. 1. n. n. Fig. 2. t. u.

(*l*) Tab. III. Fig. 1. o. o. Fig. 2. x.

(*m*) Tab. III. Fig. 1. p. p. Fig. 2. v. w.

(*n*) Tab. III. Fig. 1. inter q. & ſ.

Coalitum duarum ſuperiorum cervicis vertebrarum memoravit etiam Riolanus (o); erant hæ inter ſe junctæ & unitæ in quodam milite, qui, cum quemdam in caupona interfeciſſet, poſt ſtrangulationis ſupplicium, Theatro Anatomico addictus fuit.

(o) Encheiridii Anatom. Lib. 6. cap. 11. Pariſiis 1658. pag. 442.

C A-

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

De prodigioſa cranii magnitudine.

Ut in ſtatu ſano hominum capita nihil inter ſe, monente jam Hippocrate (*a*), ſimiliter habent, & non tantum inter diverſas nationes (*b*), ſed & inter ejusdem nationis homines, hoc ſenſu maxima obſervatur varietas (*c*), ſic ex cauſa morboſa ſingulari ſubinde mutantur modo; vel enim magnitudine enormiter excrescunt, tenuiora imo tenuiſſima, vel craſſiora, redduntur, ſubinde partes eorum, cæterum ſolubiles, confluunt, & miro modo cohærent. Exempla, quæ hoc probant, vel in collectionibus, meæ curæ commiſſis, vel in propria ſuppellectile, talia dantur, ut ab oblivione per exactas delineationes eripi mereantur. De præternaturali cranii magnitudine hoc quidem capite

(*a*) Lib. de capitis vulneribus Edit. Lind. Tom. 2. pag. 687.

(*b*) Blumenbach de generis humani varietate nativa. Edit. 2. pag. 77. ſeq.

(*c*) Jancke de foraminibus calvariæ §. 3. in Theſauro Diſſertationum vol. 2. pag. 201.

Digitized by Google

pite dicam, & maximorum craniorum, quæ Facultas noſtra medica ex legato Rauiano poſſidet & adſervat, icones tradam, aliorum figuras forte in poſterum communicaturus.

Deſcripſit quidem eadem hæcce crania ſummus Albinus (*d*), alterum breviſſime, alterum prolixius, ſed delineationes eorundem, quantum ſcio, nullæ exſtant, ſi excipio illas, quas Actis Societatis Londinenſis, elapſo jam ſeculo, Molineux inſeruit, & quibus ſolummodo os frontis, quod ad alterum, illudque maximum, caput pertinet, quodque ſolum examinare potuit, exhibetur (*e*). Utriusque itaque exacta delineatio & comparatio cum deformationibus hujus generis aliis, quas auctores deſcripſerunt, vel illam, ſi nullam aliam, præſtabit utilitatem, ut luculentiſſime probet, ex cauſa interna cerebri conceptaculum miro non tantum modo poſſe mutari, ſed & miſeros, quibus molle ac nobile viſcus, cerebrum, tantopere læditur, vitam tamen per multos admodum annos poſſe protrahere.

Primum, quod delineatum (*f*) exhibetur cranium,

(*d*) Ind. Suppel. Anat. Rauianæ pag. 4. 5.

(*e*) Philoſoph. Transact. N. 168. vol. 15. pag. 880. N. 261. vol. 22. pag. 487.

(*f*) Tab. IV.

Digitized by Google

nium, ſequentibus breviter deſcripſit Anatomicorum Princeps (*g*). „ Caput oſſeum, cujus oſſa, imprimis verticis & ſquammoſa, partes autem frontis anterior, occipitis ſuperior, & cuneiformis laterales, in vaſtam magnitudinem excreverunt, craſſa tamen, & ſeſe undique contingentia. Maxilla autem ſuperior, & quibus hæc adnectitur partes calvariæ oſſium, oſſa petroſa, & inter hæc media oſſis occipitis pars anterior, proceſſusque coronoïdei, a magnitudine conſueta non receſſerunt".

Inſignem præprimis *magnitudinem* acquiſiviſſe oſſa verticis (*h*), partem anteriorem oſſis frontis (*i*), partem ſuperiorem oſſis occipitis (*k*), partes ſquammoſas oſſium temporum (*l*), & laterales oſſis cuneiformis ſeu multiformis (*m*), ex data deſcriptione, & addita nunc figura, patet, probant vero hoc ulterius dimenſiones horum oſſium, præſertim ſi illæ cum capite naturalis magnitudinis conferuntur.

Ut autem differentia hæc optime conſtet, quomo-

(*g*) Ind. Suppel. Anat. Rauianæ pag. 4.
(*h*) Tab. IV. a. b. c. d.
(*i*) Tab. IV. e.
(*k*) Tab. IV. f.
(*l*) Tab. IV. h.
(*m*) Tab. IV. n.

Digitized by Google

modo illæ diſtantiæ, quas in hoc cranio examinandas eſſe duxi, in cranio adulti hominis juſtæ magnitudinis ſeſe habeant, enarrabo; cui ſcopo, licet plurima mihi inſervire potuiſſent, cranium illius ſelegi ſceleti, quod ducendis tabulis tribus ſceleti tabulisque oſſium optimum cenſuit B. S. Albinus (*n*).

Hoc in cranio, optime conformato, longitudo oſſium verticis a ſutura coronali ad apicem ſuturæ lambdiformis vix quatuor pollicibus rhenolandicis cum dimidio æqualis eſt. Altitudo ejusdem a nexu proceſſus lateralis oſſis multiformis ad ſagittalem ſuturam eſt pollicum quatuor. Oſſis frontis latitudo convexa maxima a tempore uno ad alterum ſex pollicum cum dimidio, ejusdem altitudo convexa ab oſſibus naſi ad ſagittalem ſuturam quinque cum dimidio. Oſſis occipitis convexa longitudo a margine poſteriore magni foraminis ad locum, ubi ſuturam ſagittalem contingit, quatuor pollicum & quinque octavarum partium: ejusdem latitudo maxima ad quinque pollices accedit. Latitudo oſſis temporis ab oſſe occipitis usque ad os cu-

(*n*) Sup. Anat. B. S. Albini part. alt. n. 215. pag. 198.

Digitized by Google

cuneiforme in latere calvariæ eſt duorum pollicum & trium quartarum partium; ejus altitudo ab apice proceſſus mammillaris recta ſurſum trium pollicum; altitudo a radice proceſſus zygomatici unius pollicis & trium quartarum partium. Oſsis cuneiformis latitudo maxima in cavo temporis eſt ferme unius pollicis; altitudo unius & quinque partium octavarum. Diameter longior foraminis magni in oſſe occipitis eſt ſesquipollicis; diameter ejusdem foraminis brevior, in radices poſteriores proceſſuum coronoïdeorum incidens, unius pollicis & unius quartæ partis pollicis. Diſtantia inter proceſſus mammillares eſt trium pollicum & trium quartarum partium. Longitudo partis oſſis occipitis, inter foramen magnum & os cuneiforme, unius pollicis & unius octavæ partis. Latitudo ipſius, ubi ſe baſi oſſis multiformis adjungit, unius pollicis. Diſtantia inter proceſſuum pterygoïdeorum lamellas interiores unius pollicis & unius quartæ partis; inter ſinus oſſium ſquammoſorum, qui admittunt capita maxillæ, trium pollicum & unius octavæ partis. Diameter longiſſima transverſalis illorum ſinuum eſt ferme unius pollicis. Diſtantia inter proceſſus mammillares & marginem

lamellæ externæ pterygoïdeorum proceſſuum unius pollicis & trium quartarum partium. Oſſis petroſi longitudo unius pollicis & quinque octavarum partium. Diſtantia inter orbitarum angulos externos, ubi cum oſſe jugali conjunguntur, quatuor pollicum & trium octavarum partium. Latitudo orbitæ a minori ad majorem angulum ſesquipollicis.

Si jam relatæ hactenus, & ex ſano adulti hominis cranio deſumtæ, dimenſiones conferuntur cum iisdem in cranio, morboſo, in quo deſcribendo verſamur, conſtabit, illas, quæ inter ſupra nominata oſſa, quæ præcipuam ſubierunt mutationem, dantur, diſtantias majores eſſe, alias vero aut æquales, aut & minores.

Longitudo oſſium verticis a ſutura coronali ad apicem ſuturæ lambdiformis, eſt ſex pollicum Rhenolandicorum & quinque octavarum partium pollicis. Altitudo ejusdem a nexu proceſſus lateralis oſſis multiformis ad ſuturam ſagittalem quinque pollicum, & ſex octavarum partium. Oſſis frontis latitudo convexa maxima a tempore uno ad alterum eſt octo pollicum; ejusdem altitudo convexa ab oſſibus naſi ad ſagittalem ſuturam ſeptem pollicum, & unius octavæ partis. Oſſis occipi-

pi-

Digitized by Google

pitis convexa longitudo a margine poſteriore magni foraminis ad locum, ubi ſuturam ſagittalem contingit, ſex pollicum. Ejusdem latitudo maxima quinque pollicum cum dimidio. Latitudo osſis temporis ab oſſe occipitis usque ad os cuneiforme in latere calvariæ trium pollicum, & duarum octavarum partium pollicis. Ejus altitudo ab apice proceſſus mammillaris recta ſurſum trium pollicum, & unius octavæ partis pollicis; altitudo a radice proceſſus zygomatici duorum pollicum & unius quartæ partis pollicis. Osſis cuneiformis latitudo maxima in cavo temporis unius pollicis & unius octavæ partis; altitudo duorum pollicum, & trium octavarum partium.

Si vero ad baſin hujus calvariæ adtendimus, & ad partes, quæ faciem componunt, hæ non eadem in proportione adauctæ inveniuntur. Diameter quippe longior foraminis magni in oſſe occipitis eſt unius pollicis, & ferme trium octavarum partium; diameter ejusdem foraminis brevior, in radices poſteriores proceſſuum coronoïdeorum incidens, unius pollicis, & circiter unius quartæ partis. Diſtantia inter proceſſus mammillares eſt quatuor pollicum. Longitudo partis osſis occipitis

tis inter foramen magnum & os cuneiforme unius pollicis, & unius octavæ partis. Latitudo ipſius, ubi ſe baſi oſſis multiformis adjungit, unius pollicis. Diſtantia inter proceſſuum pterygoïdeorum lamellas interiores unius pollicis. Inter ſinus oſſium ſquammoſorum, qui admittunt capita maxillæ, duorum pollicum & ſeptem octavarum partium. Diameter longiſſima transverſalis illorum ſinuum unius pollicis. Diſtantia inter proceſſus mammillares & marginem lamellæ externæ proceſſus pterygoïdei unius pollicis, & ſeptem octavarum partium. Oſſis petroſi longitudo unius pollicis, & trium quartarum partium. Diſtantia inter orbitarum angulos externos, ubi cum oſſe jugali conjunguntur, quatuor pollicum & trium quartarum partium. Latitudo orbitæ a minori ad majorem angulum eſt ſesquipollicis.

Ex cunctis his dimenſionibus abunde liquet, ea imprimis oſſa, quæ calvariam componunt, inſigniter eſſe expanſa, abſque tamen ut tenuiora reddita ſint, juſtam enim non tantum craſſitiem habent, verum multis in locis majorem acquiſiverunt.

Etiamſi per longum temporis ſpatium a variis hoc-

Digitized by Google

hocce cranium fuerit adſervatum, tamen ferme integrum eſt. Proceſſus zygomatici oſſium temporum (*o*) tantum modo fracti ſunt, præſertim in latere ſiniſtro; interiora narium & cava oculorum externam pariter injuriam paſſa ſunt, ac totum ferme cribriforme os periit cum unguis oſſiculis; deëſt maxilla inferior. Caput fuiſſe ruſtici annorum quadraginta, qui ſtaturæ erat puſillæ, ingenii tenuis & hebetis, Clar. Otthonis Heurnii manu fronti inſcriptum eſt.

Deſcripti cranii magnitudinem maxime notandam eſſe, nemo facile negabit, attamen conceptaculum hocce cerebri multo magis extendi poſſe, probabit alterius capitis deſcriptio, cujus oſſa omnia, ſolis verticis exceptis, integra fere & craſſa admodum cum aliis bene multis, quæ Rauio debemus, in Theatro Anatomico, adſervantur.

Oſſa hujus capitis (ſunt verba (*p*) Clar. Albini), & diverſæ quoque ejusdem cujusvis oſſis regiones, eam inter ſe proportionem in magnitudine neu-

(*o*) Tab. IV. i

(*p*) Ind. ſuppel. Anatom. Rauianæ. pag. 5

neutiquam ſervant, quam in calvariis humanis conſuetæ magnitudinis & figuræ deprehendimus. Nam in baſi, ad eum locum, quo cum vertebra prima committi debet, a naturali magnitudine ac figura vix tantillum recedit, inde vero in omne latus, & verſus ſuperiora imprimis ita increſcit, ut tandem omnium in vertice ſit ampliſſimum (q). Magnum in oſſe occipitis foramen (r) conſuetam in aliis magnitudinem vix ſuperat, diameter longior (s) ejus eſt pollicis Rhenolandici unius, & trium octavarum pollicis partium; brevior, in radices poſteriores proceſſuum coronoïdeorum incidens (t), eſt pollicis unius, & unius quartæ partis pollicis. Ab eo autem baſis calvariæ in anteriora, poſteriora, & latera, paulatim magis magisque præter ſolitum lateſcit; ut partes, quo remotiores ab eo foramine, eo etiam habeat latiores. Etenim coronoïdei occipitis oſſis proceſſus jam ſunt paulo latiores. Proceſſus mammillares diſtant inter ſe pollices quatuor cum dimidio. Pars

(q) Conſtat hoc ex Tabula VI., qua baſis cranii hujus ab interiore exhibetur.

(r) Tab. VI. g. g. h. h. (s) Tab. VI. g. g.

(t) Tab. VI. h. h.

Digitized by Google

Pars oſſis occipitis, quæ eſt inter magnum foramen ejus & os cuneiforme (*u*), longa eſt pollicem unum & unam quartam pollicis partem; lata in medio fere tres quartas pollicis partes. Ab oſſis occipitis nexu cum cuneiformi, usque ad oſſis frontis eam regionem, cui adnectuntur naſi oſſicula, pollicum trium & trium quartarum partium longitudo intercedit. Proceſſuum pterygoïdeorum laminæ interiores diſtant inter ſe paulo plus pollice uno. Sinus oſſium ſquamoſorum, qui admittunt capita inferioris maxillæ, inter ſe diſtant pollices tres, & unam quartam partem. Ipſorum ſinuum (*v*) diameter longisſima transverſalis eſt pollicis unius: unde & maxillæ inferioris magnitudo poteſt quodammodo æſtimari. Diſtant proceſſus mammillares a pterygoïdeis pollices duos. Oſſis petroſi cujusque longitudo, à meatus auditorii margine extrinſecus menſurando, eſt pollicum duorum & unius quartæ partis. Inter orbitarum angulos externos, ubi os cuneiforme cum oſſe frontis ſuturam utrimque facit, longitudo intercedit pol-

(*u*) Tab. VI. g. d. (*v*) Tab. VII. Fig. 1. f.

pollicum fere quatuor cum dimidio (*w*). Quælibet orbita a minori ad majorem angulum lata eſt pollicem unum, & ſeptem octavas partes (*x*), quare maxilla ſuperior latior quoque fuit. A baſi hac adſurgentia undique oſſa, ad perficiendam calvariam, paulatim etiam augentur & ampliantur, ſed longe, quam priora, magis. Nam oſſis occipitis convexa longitudo, a margine poſteriore magni foraminis ad locum, ubi ſuturam ſagittalem contingit, eſt pollicum ſex cum dimidio; latitudo maxima paulo longitudine minor. Oſſis temporum latitudo (*y*), ab oſſe occipitis usque ad os cuneiforme, in latere calvariæ eſt pollicum quinque & unius quartæ partis; altitudo ab apice proceſſus mammillaris recta ſurſum (*z*) pollicum duorum; a radice autem proceſſus zygomatici ſurſum (*a*) pollicum duorum, & unius quartæ partis. Oſſis cuneiformis latitudo maxima in cavo temporis (*b*) fere pollicis unius, & trium quartarum

(*w*) Tab. V. inter litteras c. c. exteriores.

(*x*) Tab. V. a c. ad c. in utroque latere.

(*y*) Tab. VII. Fig. 1. ab m. ad n.

(*z*) Tab. VII. Fig. 1. ab o. ad p.

(*a*) Tab. VII. Fig. 1. a q. ad r.

(*b*) Tab. VIII. Fig. 1. ab s. ad t.

Digitized by Google

tarum partium; altitudo pollicum duorum, & trium quartarum partium. Oſſis frontis latitudo convexa maxima, a tempore uno ad alterum, eſt pollicum undecim (*c*); altitudo convexa ab oſſibus naſi ad ſagittalem ſuturam pollicum novem (*d*). Regio oſſis frontis, quæ contingit ſuturam ſagittalem, a regione eadem oſſis occipitis diſtat linea recta pollicum octo. Cavi calvariæ, his oſſibus confecti, diameter longior, nempe inter oſſis occipitis regionem mediam craſſiſſimam, ubi ſinus *longitudinalis duræ matris in laterales* quaſi abit, & oſſis frontis mediam ſimiliter regionem, eſt fere pollicum novem cum dimidio. Diameter minor inter ſummitates oſſium ſquammoſorum eſt pollicum octo cum dimidio (*e*). Altitudo perpendicularis a ſella equina ad os frontis pollices ſex cum dimidio excedit. Unde patet, oſſa verticis, quæ deſunt, omnium adhuc ampliſſima fuiſſe. Cæterum tota baſis intrinſecus planior quoque eſt & depreſſa penitus (*f*). Nam, ut a media regione inci-

(*c*) Tab. V. inter a. & a. inferiores ſuperiorem.

(*d*) Tab. V. inter e. & a.

(*e*) Tab. VI. inter ♂. & ♂.

(*f*) Tab. VI.

incipiam, pars oſſis occipitis, quæ eſt ante foramen magnum, & quæ cum oſſe cuneiformi concreſcit, cum eo horizontaliter fere ponitur (*g*). Oſſa petroſa ſunt depreſſiora (*h*); oſſis frontis tubera, ad utrumque criſtæ galli latus, plana penitus. Dein oſſis cuneïformis partes laterales ad tempora poſitæ (*i*), oſſa ſquammoſa (*k*), oſſis occipitis pars poſterior & ſuperior (*l*), quæ parietes laterales, & poſteriorem calvariæ facere debent, in latera & retro, deorſum ita inclinantur, ut baſeos amplitudinem longe maximam efficiant. Hinc extrinſecus etiam omnia planiora: orbitarum lacunaria & ſinus, qui excipiunt maxillam inferiorem (*m*), minus non modo quam deberent, pro capitis hujus & ſua ipſius magnitudine, ſed & quam ſolent in aliis, excavata. Et quod mirum & notatu dignum, ipſe auditorius meatus (*n*) ita quaſi compreſſus eſt, ut altitudo ejus latitudini multum cedat: quod plane ſe habet aliter in bene factis. Unde ſi quid ratiocinari licet, ip-

(*g*) Tab. VI. g. d. n.
(*h*) Tab. VI. q. q. q. q.
(*i*) Tab. VI. w. w.
(*k*) Tab. VI. r. r.
(*l*) Tab. VI. i. m. m.
(*m*) Tab. VII. Fig. 1. f.
(*n*) Tab. VII. Fig. 5. D.

Digitized by Google

ipſa hæc calvariæ ſpecies ſatis indicare videtur, formatam eam eſſe a cauſa quadam, quæ in cavo calvariæ hæſerit, id mole ſua præter ſolitum ita diſtenderit, & ſimul baſin ejus pondere ſuo preſſerit; tunc enim hanc figuram produci debuiſſe res ipſa docet, & confirmat hydrocephalus. An vero tali forma natum eſt hoc caput; cerebro ac cerebello, veris atque ſanis, ſed nimiæ tantum molis, repletum: & an hæc ita dein, ut ſolent in aliis, ſimul excreverunt? An potius, infirma adhuc ætate, a cerebri & cerebelli mole nimium increſcente, forte ob diſtendentem intus aquam, ſic paulatim figuratum eſt & ampliatum? Tunc vero ſingulare eſſet, quod oſſa hæc dein non modo firmiter ſibi invicem committi potuerint; ſed adeo non tenuiora facta fuerint, ut nunc craſſitie & robore vulgares calvarias tantum ſuperent, quantum fere ſupra eas magnitudine increverint. Fuerunt autem hæc oſſa diu aſſervata in repoſitorio auditorii medici Academiæ hujus Leidenſis, dein vero cum aliis Anatomicis publice divendita, & a Clar. Rau emta, redierunt ad dominum ſuum. Ex his os frontis illud idem eſt, quod deſcribit Doct. Thomas Molyneux (in Philoſoph. Tranſact.

N.

Digitized by Google

N. 168. & 261.), quodque ſolum viderat. Is vero cum expiſcari ſe non potuiſſe ſcribat, unde venerit; & probare etiam multis conetur, eſſe Giganteum, non ingratum rei Anatomicæ & Naturalis amatoribus, nec incongruum fore exiſtimavi, ſi paucis adderem, quæ de his ſcripta habentur in litteris authenticis, quas in repoſitorio auditorii medici inveni. Litteræ ſunt a Michaële Paauw, ſcabino urbis Amſtelædamenſis, ſcriptæ, ad Otthonem Heurnium, Anatomes & Chirurgiæ in Academiæ Lugduno-Batava Profeſſorem, a. d. 12. Julii 1623., quibus nuntiat Heurnio, mittere ſe ad eum oſſa quædam capitis, quæ tribus annis ante inter ſe adhuc cohæſerint, & pedibus conculcata diſſolutaque fuerint, ut cæteræ partes, quæ deſiderentur, haberi nequeant. Infra notavit Cl. Heurnius, retuliſſe ſibi landatum Michaëlem Paauw, 29. Junii 1623., Amſtelædami in Eccleſia dicta nova, ante ingreſſum ad Bibliothecam, caput iſtud ſepultum fuiſſe, ut didicerit ab æditu0, cum Eccleſiæ iſtius ædilis eſſet; eſſeque caput hominis Amſtelædami nati, qui vulgari tantum fuerit ſtatura, & propter capitis monſtroſam magnitudinem incedere non potuerit, ſed vitam totam ſe-

ſedentariam agere debuerit (*o*). Quæ omnia ſi vera,

(*o*) Ipſæ litteræ, quas adſervo, ſic ſeſe habent.

Amſterdam den 12 July A°. 1623.

ACHTBARE. WYSE. HOOCHGELEERDE.

Hier neuens ſende 't gedeelte van d'hooftbeenderen, waer van onlancx geleden belofte gedaen hadde, tis ſoo, dat ontrent drie jaren geleden deſelfde noch aen den anderen geweeſt ſyn, ende door onverſichticheyt met de voet van een getreden, ſulcx dat de reſterende ſtucken vermiſt en niet te bekomen waren, UEd. gelieue het defect met myne genegentheyt te ſuppleren, waar mede endende, blyft de beſcherminge des Alderhoochſten bevoolen, en ſyt hertelyck van ons gegroet.

UEd. Dienſtwillige,

MICHAEL PAAUW.

Den voorſ. heer Michael Paauw Schepen der Stadt Amſterdam, refereerde mi op den 29 Juny an. 1623. als hi met ſyn huysvrouwe en andere vrunden de Anatomie beſag, dat dit uoorſz. hooft tot Amſterdam in de nieuwe Kerk, voor de Bibliotheekx inganck lach begraven., ſo hem de Coſter hadde aenghedient, doen hi daer Kerkmeeſter was: ende dat het was het hooft van een perſoon binnen Amſterdam gheboren, de welke maer en was gheweest van ordinaire Stature, dan hadde dusdanigen grooten monſtreuſen hooft, waer om hi oock niet en konde gaen, dan moſte altyt, ſyn leuen lanck in een ſtoel ſitten.

[Ondert.]

OTTHO HEURNIUS,
Medicinae, Anatomiae en
Chirurgiae Profeſſor.

Digitized by Google

nulla oſſium extenuatio locum habuerit; innuo caſum, quem Roſenſteinii gener, Aurivillius, vidit, & exacte deſcripſit, ex cujus relatione hic tantum enarrabo ea, quæ ſcopo noſtro inſervire videntur (*x*).

Nullum ex materno utero vitium tulerat ægra; ſed non diu poſt nativitatem caput faciemque mala ſcabies deturpaverat, quam ut depelleret mater, farinam adſperſerat ligni putridi, a vermibus eroſi. Circa ſextum ætatis menſem caput cœpit tumere, & continuo magis magisque intumuit, facie & reliquo corpore exigua admodum incrementa capiente, adeo ut in adulta etiam ætate illi gigantea magnitudo, huic puellæ ſeptennis tenera ſtatura fuerit. Lecto hinc per continuos annos adfixa, nec vertere ſe valuit, nec cibum ad os adferre, dextra manu ſemper impotens. Feliciter tamen, ſuis in cunis, morbillis, variolis, & febre intermittente defuncta eſt. Cibos fere ſem-

(*x*) Deſcripſit hanc obſervationem Clar. Aurivillius in Diſſertatione de Hydrocephalo interno annorum quadraginta quinque, quam edidit Upſaliæ 1763. Rarum autem hocce opuſculum recuſum eſt in Theſauro Diſſertationum vol. 2. pag. 325.

ſemper bene appetiit; quoties erecta tenebatur, ructibus & ſenſu inſtantis vomitus vexabatur. Excretiones communes plerumque rite proceſſerunt, ſexui proprias a pubera ætate regulariter habuit, parciores tamen. Sic quadraginta annorum ætatem adſecuta, ſenſibus externis ſemper valuit, & rationis uſu aliquo erat gaviſa. Fatuæ autem ſpeciem perpetuo exhibuerat. Miſeram vitam ſubita mors abrupit. Caput enorme erat. Fronti ſubjecta facies, collum, thorax, artus omnes ejus magnitudinis, quæ puerili ætati conveniat, & maxime difformes. — Intra cerebrum maxima continebatur aquæ copia, ſic ut cerebrum diſſectum vix lineâ craſſius inveniretur. Ventriculorum, in quibus aqua delituerat, forma tota mutata erat. — Tantæ erat amplitudinis calvariæ portio ſuperior fornicata, quæ conſueta ſectione proxime ſuper oculorum foramina, ſummasque partes ſuturarum ſquammoſarum, ab inferiori ſeu baſi fuit ſejuncta, ut aquæ novem libras ceperit, quum ſimiles portiones ex calvariis hominum adultæ ætatis, & conſpicuæ ſimul ſtaturæ, libras vix capiant quatuor. Capacior erat multo omnem dimenſionem ad ſyncipit & frontem, quam ad occiput. Latiſſima erat,

erat, qua oſſis multiformis proceſſus oſſibus frontis & verticis ſe annectunt, inde ſenſim anguſtata ad occiput multum contrahebatur; frons erat protruſa valde ante oculorum cava, & non depreſſa, qua ſolet, acclivitate, ſed altiori multum ductu ad ſynciput adſurgebat; latera minus, quam in adultis ſaniſque, compreſſa erant. Lacunar ipſum admodum ſupra ordinariam altitudinem eminebat, in ſuturæ coronalis medio altius aliquantum reliquo, ita tamen, ut per ſummæ longitudinis magnam partem eadem fere regnaret altitudo; cæterum ad ſphæræ convexitatem undique accedebat, ut, quæ alias in oſſibus verticis exſtant, tubera non deprehenderentur. — Craſſitie a calvaria robuſtæ vix differebat, craſſiſſima etiam illis in locis, ubi perfecta ſtructura poſtulat. Tota vero ſuturis clauſa erat, imo alicubi oſſibus in unum conſolidatis. Sutura coronalis integrum ambitum ſervabat, ſed tota oſſiculis referta, exiguis quidem ad latera & firmiſſime cohærentibus, majoribus autem ad ſynciput & laxius connexis, ut diſtincta oſſa referrent. Verticis oſſa, dimidia ſua contactus parte, eademque priore in unum prorſus coaluerant, ut æquabiliſſimam tum intrinſecus

tum

tum extrinſecus exhiberent ſuperficiem; reliquam & poſteriorem partem ſutura diſtinguebat laxa, denticulis facta exiguis, a cujus extremo ſuperiori dextrorſum & retrorſum ſimilis excurrebat ſutura, in ipſo firmo oſſe finiens; lambdoïdea tota ſupererat, itidem oſſiculis plena, admodum quidem exiguis in inferiore utrimque parte, qua ad ſquammoſam accedit, a convexitate vero hujus ſuturæ duæ aliæ in verticis oſſe excurrebant, una utrimque, quarum quæ dextra erat, directione reſpondebat ſuturæ illi modo memoratæ a ſagittali retrogradæ, ut his tribus ſuturis diſtinctum intercluderetur os, quatuor pollicum longitudine, exigua ſua portione cum verticis oſſe dextro coalitum. Squammoſas conglutinationes oſſicula formabant minutiſſima, numeroſiſſima.

Talis jam ſi caſus exſtiterit, ſi ad tantam increſcere magnitudinem ex hydrocephalo calvaria potuerit, abſque ut tamen craſſities fuerit imminuta; ſi, ut ex caſu Reidlini patuit, eodem in morbo & extendi, & duplo craſſiora oſſa fieri poſſint, quid impedit, quominus concludamus, idem & in noſtro caſu locum habuiſſe.

Exſtant forte plura exempla, quæ ulterius hoc aſſer-

Digitized by Google

tum probant (*y*); obſervata certe ab aliis crania ſunt magnitudinis maxime notandæ (*z*); aſt, cum vera cauſa latet, concludere ſolummodo licet, probabile eſſe, & illa ex cauſſa interna dictam ſubiisſe mutationem, præſertim cum oſſa cranii maxima inventa leguntur cum aliis oſſibus, quæ nil notatu dignum offerebant. Ruiſchius (*a*) gigantis, ut vocat, os ſyncipitis ſiniſtrum adſervavit, cujus dextrum in Muſæo Ampl. Conſulis Witſen (*b*) erat; quod tam prodigioſæ magnitudinis fuit, ut *integro hominis capiti pro galea inſervire* potuerit, quod anſam dedit nonnullis dubitandi, an hominis, an vero quadrupedis majoris, eſſet os ſyncipitis. Sed eſſe humanum agnovit Ruiſchius, ſuperaddit autem, libitinarium templi novi dixiſſe, ſeſe illud inter alia oſſa effodiſſe, non adeo curioſa, ut adſervaret. CA-

(*y*) Legi certe merentur, quæ circa mutationes cranii, quoad magnitudinem, craſſitiem, in fatuis, melancholicis aliisque, obſervavit Greding in Ludwigii Adverſar. Medico-Pract. vol. 2. pag. 451. ſeq. vol. 3. pag. 591. ſeq. & Vermiſchte Mediciniſche und chirurgiſche Schriften von J. E. Greding, herausgegeben von K. W. Greding. Altenburg. 1781. pag. 145. ſeq. pag. 218.

(*z*) Conf. Lachmund Oryctograph. Hildesheim. pag. 68.

(*a*) Catalog. rarior. pag. 153.

(*b*) Inſp. etiam Philoſoph. Transact. vol. 41. part. 1. pag. 368. Tab. 1 & 2.

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

De ſinu ſatis profundo, in utroque oſſe verticis obſervato.

Cujusque morbi tanta magnitudo eſt, quantum a naturali ſtatu recedit, quantum vero recedat; is ſolus novit, qui naturalem habitum adamuſſim tenuerit, ut merito dixit Galenus (*a*); requiſita itaque actionum vitalium, naturalium & animalium exercendarum qui ignorat, vitæ & ſanitatis cauſas qui neſcit, illum morbos, id eſt illarum defectum, cognoſcere non poſſe, jure ſane ſummo profeſſus eſt Boerhavius (*b*); anatomes ergo, quæ partium, quotquot in humano corpore dantur, ſitum, nexum, formam, fabricam, docet, phyſiologiæ, quæ earundem functiones explicat, utilitatem in facienda medicina & chirurgia inſignem eſſe, quis ſanæ mentis negaverit? Sed & præternaturalem hujus illiusve partis ſtatum, ſi liceat,

(*a*) De method. medendi ad Glauconem lib. 1. cap. 1.
(*b*) Aphor. de cognoſcendis & curandis morbis §. 2.

Digitized by Google

ceat, cognoviſſe, tantum ſæpe præbet commodum, ut, ſi latuiſſet, periculis non raro expoſiti fuiſſent ægri, dolentque ea propter ſæpe medentes; ad tales ſemet vocari, qui ea, quæ præceſſerunt, enarrare nequeunt, adeoque lucem hac in parte adferre nullam poſſunt. Vix aliud luculentius adduci poſſe exemplum videtur, quam illud, quos notavit Platnerus (*c*). Huic quippe accidit, ut ad hominem evocaretur, qui, ex tertia ædium contignatione delapſus, ab initio ſine ſenſu quaſi dormiens erat. *Quia conjectura erat*, caput offenſum eſſe, Chirurgus, capillos deradens, monſtravit profundiorem & majoris ambitus ſinum, & depreſſam calvariam. Dum miratur Platnerus, cutim ſuper eam colliſam vexatamque non eſſe, homo expergefactus & inciſuram metuens dixit, nihil ibi ſubeſſe alieni, ſibi a teneris hunc ſinum fuiſſe.

Concludit inde Platnerus, θλάσιν, id eſt, os, ſine fractura in junioribus depreſſum, ſæpe ſine incommodo relinqui. Hoc vero an ex illo exemplo ſtatui poſſit, dubium mihi reddit cranium junio-

(*c*) Inſtitut. Chirurg. §. 556. in nota pag. 301.

nioris hominis (*d*), in cujus oſſe verticis utroque notabilis obſervatur depreſſio, ſi ad ſuperficiem externam calvariæ adtendimus, abſque ut tamen intra cerebri conceptaculum, in uno aut altero latere, os vel minimum protuberet.

Junioris, adulti tamen, hominis hoc cranium eſſe, abunde probat totus habitus, confirmat alveolorum, qui ferme omnes adhuc integri ſunt, præſentia. Sutura ſagittalis ad nares usque procurrit (*e*). Proceſſus ſtyliformes admodum magni exiſtunt. In partibus lateralibus foraminum oculorum, ubi oſſa jugalia accedunt ad partes priores proceſſuum lateralium oſſis multiformis, tanta datur tenuitas, ut oſſa ferme hient. Superficies oſſium verticis, ubique locorum, etiam ubi depresſiones ſunt, eandem habet æquabilitatem, & nullibi arroſa eſt. In verticis oſſe dextro depreſſio (*f*) duos pollices longitudine ſuperat, ab anteriore ſesqui pollicem, a poſteriore ferme duos, lata; margines ſunt æquabiles, rotunduli. Depreſſio in eodem oſſe ſiniſtri lateris (*g*) minor eſt, ſesqui polli-

(*d*) Tab VII. Fig. 2.
(*e*) Conf. Obſervat. Anatom. Patholog. lib 3. pag. 111.
(*f*) Tab. VII. Fig. 2. d. d. d. d. (*g*) Tab. VII. Fig. 2. f. f. f. f. g.

Digitized by Google

pollicem longa latitudinem eandem habet, eſt autem hoc in latere ſinus profundior. In dextro latere ſuperficies oſſis, medio in ſinu (*h*), aliquomodo aſſurgit, ſic ut media hæcce pars a margine, totum ſinum a reliquo oſſe ſeparante, diſtinguatur per foveam, quæ partem illam undique ambit.

In cranio, craſſo admodum, viri robuſtisſimi ſimilem depresſionem ſatis profundam vidi, in nexu osſium verticis inter ſe, verſus partem poſteriorem capitis, non longe a ſutura lambdiformi, ſic ut inter lineam, ab uno latere in alterum ductam, & oſſa verticis medio depresſionis loco inſignis adeſſet diſtantia.

Undenam tales depresſiones fuerint ortæ, inquirere non juvat, non niſi hypotheſes, quæ plus damni, quam emolumenti, in medicina adferunt, & plubus erroribus anſam dederunt, eſſent condendæ; ſufficiat cranium deſcripſiſſe, delineaſſe.

(*h*) Tab. VII. Fig. 2. e.

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM.

De muſculis nonnullis, qui rarius occurrunt.

In deſcriptione omnium, quotquot in humano corpore dantur, muſculorum, ante duos circiter annos data, de iis tantummodo motus inſtrumentis mentionem eſſe faciendam cenſui, quæ conſtanter adeſſe ſolent, quemadmodum varietates, in ortu atque inſertione ſæpius obſervatas, non attigi (*a*); attamen, cum natura in muſculis æque ac in vaſis (*b*), aliisque partibus (*c*), ſæpius ludit, aliter eſſe non potuit, quin in componenda illa deſcriptione occurrere mihi debuerint tales, qui rarius deteguntur, & quos illi inſerere a ſcopo plane erat alienum; hos autem cum annotaverim, illorum enumerationem, atque brevem hiſto-

(*a*) Conferatur Præfatio, quam Deſcriptioni muſculorum hominis præmiſi. pag. 4.

(*b*) Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 1. pag. 78. not. c. pag. 82. Lib. 2. pag. 126. Lib. 3. pag. 33. Lib. 4. pag. 91.

(*c*) Ibid. Lib. 2. pag. 64. not. †. pag. 125. 131. Lib. 4. pag. 62. not. r. 124. &c.

Digitized by Google

hiſtoriam hoc capite tradam, quæ inſtar appendicis ad dictum librum conſiderari, & ſenſim plenior reddi poterit, ſi addant alii tales, quos vel obſervarunt ipſi, vel ab aliis viſos ſuis in adverſariis annotarunt; ſine dubio enim a nonnullis autoribus, quorum ſcripta non conſului, alii eique forte rariores muſculi fuere viſi, & numerus talium, quales nunc deſcribo, certo certius multo major erit, quam qui hoc capite traditur, etiamſi aberrantes fibras non ſtatim pro novo muſculo, ut multi fecerunt, eſſe habendas, cenſeam.

Anomalus in facie.

Hic eidem oſſi, a quo incipiebat, inſerebatur. Ab oſſe maxillari ſuperiori circa ſummam partem foſſulæ canini oriebatur, deſinebatque ad locum, qui eſt paulo infra ortum Levatoris labii ſuperioris: a primo tendinoſus, anguſtus, tenuis, dein carneus, latior, craſſior, a medio rurſus ſe anguſtabat, extenuabat, & in fine tendineus erat. Varietates hujus nonnullæ ſubinde viſae ſunt (*d*).

Gra-

(*d*) Albini Hiſt. Muſcul. pag. 167. Santorini Obſervat. Anatom. Tab. I. f. g.

Gracillimus oculi.

Rarus, gracillimus, comes Obliqui ſuperioris oculi, cum eodem enaſcebatur, ſed juxta orbiculum in tenuitatem ſe dilatans, evaneſcebat in lubricam, laxamque, membranam, quæ tendinem Obliqui complectitur (*e*).

Stylopharyngæus alter.

Duplicem in latere dextro adulti vidit Stylopharyngeum Clar. Boehmer. Aderat Stylopharyngeus naturali ſitu atque directione. Styloglossus vero in principio in duos, a ſe invicem diſtinctos, abibat faſciculos, quorum unus radici linguæ inſerebatur, alter vero ſupra priorem ad latus pharyngis oblique deſcendebat (*f*).

Cephalopharyngæus.

Ortus a baſi cranii juxta latus pharyngis, demittens ſe ſub ejus Conſtrictore ſuperiore, ſe adjun-

(*e*) Albini Hiſt. Muſcul. pag. 176.

(*f*) Inſtit. Oſteolog. pag. 117. Obſervat. Anatom. rar. faſc. 1. præfat. pag. 17.

jungebat parti poſteriori Stylopharyngæi, cum eo deſinens (*g*). Ex acuto ſenſim plenior & latior. Tendineus primum (*h*), ubi ſeſe adjuncturus erat, inde carneus (*i*), & extenuatus. Poſſet haberi pro parte, Stylopharyngæo adjuncta.

Aliquoties ſe Cephalopharyngæum obſervaſſe, Clar. Anatomes in Academia Ultrajectina Profesſor Luchtmans mecum communicavit. In cadavere fœminæ, ab Ipſo anno 1771. diſſecto, muſculus talis in utroque latere exſurgebat a baſi cranii, a latere externo canalis petroſi, inde deſcendebat ſecundum lateralem pharyngis partem, ſimulque retrorſum eundo, ſeſe flectebat ad poſteriorem pharyngis partem, accumbens Conſtrictori ſuperiori, medioque, a quibus omni fere ex parte erat ſejunctus, ubi vero ad inferiorem Conſtrictorem pervenerat, fibras ſuas radiorum ad inſtar diffundebat, ſic ut ſuperiores arcuatim adſcenderent, ſubſequentes ex tranſverſo irent, reliquæ deſcenderent, & eo rectius, quo laterali muſculi termino eſſent propiores.

(*g*) Albini Annotat. Acad. Lib. 4. cap. 4. pag. 26.
(*h*) Id. ibid. Tab. V. Fig. 5. a.
(*i*) Id. ibid. Tab. V. Fig. 5. b.

Digitized by Google

res. Qui vero lateris dextri erat, Cephalopharyngæus, in eo discrepabat ab illo ſiniſtri, quod eodem multo erat craſſior tumidiorque, quod etiam ab origine ſua ad viciniam Conſtrictoris inferioris usque in binos quaſi musculos graciliores erat fiſſus, quorum alter aliquamdiu manebat tendineus, alter mox ab origine carneus erat; qui ſiniſtri lateris erat, Cephalopharyngæus ab origine tenuis admodum ac tendineus, ſenſim evadebat carneus, ventreque gracillimo ad Pharyngis poſteriora progreſſus, dextri adinſtar, fibris diffuſis, ſparſisque deſinebat.

Similem Cephalopharyngæum obſervavit anno 1778. Duos autem anno 1781. in cadavere masculino, ſed in ſiniſtro tantum latere pharyngis, vidit. Primus mox ante foramen interruptum incipiebat, & ad pharyngem pergebat. Alter, ante canalem petroſum exſurgens, ad ſuperiorem pharyngis partem ibat.

Thoracicus.

Notum, quandoque Rectum abdominis muſculum per pectus ad ſummam ſterni partem continua-

Digitized by Google

nuari (*k*), aſt in corpore viri robuſtisſimi musculum in pectore peculiarem vidit Kaau Boerhaave, enatum ſupra Rectum, atque inde ſupremum pectus verſus tendentem, at vero ab eo plane diſtinctum.

Pectoralis musculus uterque erat validisſimus, atque ex utroque ſterni latere ortus, relinquebat hoc os latum, planum, liberum, neque fibræ ſe invicem in eo attingebant, multo minus decuſſabant.

Ad latus ſiniſtrum, juxta ortum musculi Pectoralis ex ſterno & pone illum, decurrebat, per totam oſſis pectoris longitudinem, musculus oblongus (*l*), pollicem latus, craſſus, carneus, infra &

(*k*) Conf. Albini Hiſt. Muſcul. Lib. 3. cap. 77. Weitbrecht in Comment. Petropol. Tom. 2. pag. 259. Kaau Boerhaave Nov. Comment. Petropol. Tom. 2. pag. 257. ſeq. Muſculi Recti abdominis continuationem, ſimilem illi, quam deſcripſit Clar. Albinus lib. cit. pag. 291., ſeſe vidiſſe in utroque latere thoracis in cadavere, a Clar. Snip diſſecto, in humaniſſimis litteris Clariſſimus Athenæi Amſtelædamenſis Profeſſor, amiciſſimus Bonn, mecum communicavit. Bis huncce Rectum ad ſecundam usque coſtam extenſum obſervavit Cl. Portal. Anatom. Hiſtor. & Pratique par M. Lieutaud, augmentée par M. Portal. Tom. I. pag. 256. in nota. Juppin in Journ. de Medecine. Tom. 39. pag. 312.

(*l*) Nov. Comment. Petropol. Tom. 2. pag. 269. ſeq. Tab. XI. Fig. 2. α. β. γ. δ. ε.

Digitized by Google

& ſupra tendineus & tenuis, inferne fiſſus. Oriebatur quippe duplici principio, lato ſed tenui, tendineo, externo majori, interno minori, quod utrimque coïens musculi corpus carnoſum conſtituebat. Tendo exterior (*m*) longior, planus, oriebatur tenui & lato initio, a ſuperiori exteriori parte cartilaginis coſtæ ſeptimæ, illi loco proximus, quo hæc cum infimo ſinu laterali ſterni articulatur, pone principia tendinea fibrarum, quæ, ex eadem cartilagine ortæ, quandoque fasciculum diſtinctum ad muſculum Pectoralem mittunt. Tendo interior (*n*), minor, itidem tenuis, oriebatur rotundiori & magis tereti initio ex ipſa ſterni parte infima, media, laterali ſiniſtra, proxime articulationi coſtæ ſeptimæ cum ſterno, ſupra ejusdem cartilaginem mucronatam. Ambo tendines ad ſe invicem accedebant, deinde confluebant, carnei fiebant (*o*), atque musculum conſtituebant, qui craſſus, planus, oblongus, fere rectus (*p*), juxta exortum musculi Pectoralis ſupremum ſternum verſus adſcendebat, a latere ejusdem

(*m*) Ibid. Tab. XI. Fig. 2. α.
(*n*) Ibid. Tab. XI. Fig. 2. β.
(*o*) Ibid. Tab. XI. Fig. 2. γ.
(*p*) Ibid. Tab. XI. Fig. 2. γ. δ.

Digitized by Google

dem externo leniter incurvus. Parte ſuperiore leniter inclinabat os pectoris verſus, atque, in tendinem æque latum extenuatus (*q*), inſerebatur parti ſuperiori, dimidiæ & laterali ſiniſtræ oſſis (*r*), quod in ſterno ſupremo triangulare vocant, infra initium Sternomaſtoïdei ſiniſtri.

In alio cadavere aliam longe faciem musculi talis vidit (*s*). Eo in loco, ubi ad quintæ coſtæ cartilaginem Pectoralis dexter adhæret, fibrarum muscularium fasciculi originem ſumſerunt. Erant duo, qui ex communi tendinoſo principio, quod quintuplex erat, proveniebant (*t*). Primum oriebatur ex ſterno juxta inſertionem cartilaginis coſtæ quintæ (*u*); ſecundum exterius juxta inſertionem cartilaginis coſtæ ſextæ (*v*); tertium juxta inſertionem cartilaginis coſtæ ſeptimæ (*w*); quartum ab inferiore parte cartilaginis hujus coſtæ infra articulationem cum ſterno (*x*); quintum ab aponeuroſi musculi Obliqui externi abdominis (*y*). Hi fasciculi progredientes omnes, firmiter invicem tene-

(*q*) Ibid. Tab. XI. Fig. 2. δ. ε. (*r*) Ibid. Tab. XI. Fig. 2. ε.
(*s*) Nov. Comment. Petropol. Tom. 2. pag. 271. ſeq. Tab. XII.
(*t*) Ibid. Tab. XII. A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M.
(*u*) Ibid. Tab. XII. A. (*x*) Ibid. Tab. XII. D. E. F.
(*v*) Ibid. Tab. XII. B. (*y*) Ibid. Tab. XII. D. G.
(*w*) Ibid. Tab. XII. C.

nebant, quarti autem fibræ, a ſe recedentes, fiſſuram ovalem (*z*) relinquebant, poſt eam denuo confluentes. Ex omnibus musculus producebatur planus (*a*), ad ſternum progreſſus, qui in duplicem ſecedebat (*b*). Superior ſeu minor diſtinguebatur in fasciculos majores tres carneos (*c*), tendineos (*d*), confluentes in tendinem unicum, plano rotundum (*e*), qui in tres findebatur caudas (*f*); harum minima (*g*), major & latior (*h*), ſterno inſerebantur; maxima (*i*) adſcendebat ad latus musculi Pectoralis ſub tendine musculi inferioris, ſeu majoris (*k*); ex eodem emergebat (*l*), ſeſeque applicabat ad tendinem Sternomaſtoïdei (*m*), & cum eo confluebat (*n*). —— Inferior ſeu major (*o*) carne ſua oblique nudus ſub minori emergebat (*p*); pars ſuperior, contracta (*q*), abibat in tendinem communem (*r*), cui

(*z*) Ibid. Tab. XII. K.
(*a*) Ibid. L. F. M. H.
(*b*) Ibid. N – Z. & a – o.
(*c*) Ibid. N. O. P.
(*d*) Ibid. Q. R. S.
(*e*) Ibid. T.
(*f*) Ibid. U. V. W.
(*g*) Ibid. U.
(*h*) Ibid. V.
(*i*) Ibid. W. X. Y. Z.
(*k*) Ibid. f. g.
(*l*) Ibid. X.
(*m*) Ibid. Y.
(*n*) Ibid. Z. 4.
(*o*) Ibid. a. b. c. d. e. &c.
(*p*) Ibid. a. b.
(*q*) Ibid. b. c.
(*r*) Ibid. d.

Digitized by Google

cui a latere interno tendo diſtinctus (*s*) accedebat, qui deinde in unum (*t*) confluebat, atque ſupra priorem tendinem (*u*) extrorſum flectebatur (*v*), ibidemque jungebatur cum tendine Sternomaſtoïdei, diu in tenues fasciculos diſtinctus (*w*), tandem plane confluens (*x*). A latere autem interno reflexus (*y*) cum tendine Sternomaſtoïdei abibat in lunulam, cujus cornu ſuperius minus, ſed latius, iterum fiſſum, inferius integrum, ambo inſerebantur ſterno ſub initiis fibrarum musculi Pectoralis ſiniſtri (*z*). —— In latere ſiniſtro musculus parvus ſingularis aderat (*a*); hic, ſupra Pectoralem decurrens, tendineo principio, continuo fasciculo alterius musculi (*b*), producebatur ex ſuprema parte portionis tendineæ, ex coſta ſeptima tendentis ad Pectoralem (*c*), quæ cum aponeuroſi musculi Obliqui externi (*d*) cohærebat: contrahebatur in duos tendines laterales (*e*), qui di-

(*s*) Ibid. e.
(*t*) Ibid. f.
(*u*) Ibid. W. X.
(*v*) Ibid. g.
(*w*) Ibid. h.
(*x*) Ibid. i.
(*y*) Ibid. l.
(*z*) Ibid. m. n. o.
(*a*) Ibid. α—μ.
(*b*) Ibid. A.
(*c*) Ibid. β. γ.
(*d*) Ibid. 17.
(*e*) Ibid. δ. ε.

Digitized by Google

diſtincti coëuntes (*f*) abibant in carnem rotundam, ſenſim latiorem (*g*) ad mediam ſuæ longitudinis, unde planior extenuabatur iterum in tendinem (*h*), qui fibris diſperſis inſerebatur membranæ, muſculum Pectoralem inveſtienti, vel cum ejusdem fibris diſparebat (*i*).

Cel. Hallerus musculum, non conſtantem, vidit, qui a coſta quinta in ſternum abibat (*k*); & talem Wilde etiam obſervavit, ſed tendine ſuo ad Sternomaſtoïdeum usque tendentem (*l*).

Detexit Clar. Bonn, ut mecum communicavit, in robuſto Æthiope musculum quemdam, quem Thoracicum poſſe dici cenſuit, ortum ducentem a cartilagine coſtæ tertiæ, tendineum, atque coſtæ ſextæ prope ejus cartilaginem inſertum.

Subclavius alter.

Hic in dextro cadaveris fœminini latere viſus eſt. Prior ad connexionem ſcapulæ cum proceſſu coracoïdeo incipiebat, totique inferiori claviculæ extre-

(*f*) Ibid. Tab. XII. ζ. η.
(*g*) Ibid. θ.
(*h*) Ibid. ι.
(*i*) Ibid. κ. λ. μ.
(*k*) Elem. Phyſiol. Tom. 3. pag. 72. Faſc. Anatom. 6. Tab. 1. N.
(*l*) Comment. Petropol. Tom. 12. pag. 320. Tab. 8. Fig. 5.

Digitized by Google

extremitati adhærens, ſuperiori coſtæ primæ parti inſerebatur. Alter, a priori diſtinctus, ab acromio principium ducebat, & initio oblique, poſteaque transverſim progrediens, cum illo rurſus jungebatur, circa finem vero iterum dehiscens, ad inferiorem ejusdem coſtæ deſcendebat partem (*m*). Vidit Hallerus acceſſorium tendinem, ſuper carnem diſperſum, habuiſſe Subclavium a proceſſus coracoïdei parte ſuperiore (*n*). Cum Albino (*o*) ortum hujus musculi non in ſcapula, ſed in coſta prima, ſtatuendum eſſe cenſui, inſertionem vero in inferiore parte claviculæ (*p*), licet aliquando etiam proceſſui coracoïdeo extremo ſuo adhæreat (*q*).

Curvator Coccygis.

In tribus hunc invenit Albinus. Ab utroque latere musculus parvus erat; oblongus, anguſtus, tenuis, majorem partem tendineus, gemino capite

(*m*) Boehmer Obſervat. rar. faſc. 1. Præfat. pag. 9.
(*n*) Alb. Halleri Not. in H. Boerhaave Prælect. Acad. in proprias Inſtit. Medic. Tom. 5. part. 1. pag. 95. not. d.
(*o*) Hiſt. Muſcul. pag. 270. Tab. Muſcul. 17. fig. 20. a. b.
(*p*) Deſcript. Muſcul. hom. pag. 138.
(*q*) Albin. Hiſt. Muſcul. pag. 271.

Digitized by Google

pite incipiebat, altero ab interiore & eadem inferiore & laterali parte corporis imi oſſis ſacri; altero, quod in alio bifidum, ab interiore eademque laterali coccygis primi; deſcendens tribus extremis deſinebat ad eandem partem coccygis oſſiculi ſecundi, tertii, quarti, extremo inſigniore, tendineo, quo dexter cum ſiniſtro conjunctus erat (r).

Muſculus Veſicæ.

Perraro hunc vidit Idem Albinus. Oriebatur ab interiore parte oſſis pubis, loco inter ima ſynchondroſis finitimamque ſuperiorem foraminis magni partem, fere medio, juxta internam partem ortus Levatoris ani (s). Inde flectebat ſe circum veſicæ latus, mox ſupra proſtatam, latescens ſenſim (t). Ad poſtremum valde extenuatus, continuabat ſe veſicæ fibris, vel in eas potius abibat (u). Hunc musculum fortaſſe eundem eſſe putat, qui olim viſus ad proſtatam pertinere, Compreſſor Proſtatæ dictus, quem ſæpe ſimilem de-

(r) Albin. Hiſt. Muscul. pag. 336.
(s) Id. Tab. Muscul. 12. Fig. 41. a.
(t) Id. Ibid. b.

Digitized by Google

deflectenti a Levatore ani portioni, aliquando plane diſtinctum ab eo vidit, & proxime ſupra priorem ejus partem, orientem ab interiore oſſis pubis, principio tendineo, eoque tenui & anguſto; incurvo ductu retrorſum incedens, complectebatur proſtatam, inter quam rectumque inteſtinum aliquando viſus eſt per inferiora proſtatæ evaneſcere tenuitate magna, aliquando pari ſui continuari (v).

Interſpinales cervicis ſupernumerarii.

Interſpinales cervicis quinque numero eſſe ſolent, interjecti ſpinis colli vertebrarum inferiorum ſex, ut alibi dixi (w). Supernumerari quandoque ſunt. Vidit Cl. Albinus unum a ſpina ima colli ad quartam pertinentem; alium a quarta ad ſextam. In aliis ab altero latere unum, modo a ſpina ſecunda, modo a ligamento cervicis circa eam, oriundum, pertinentemque ad ſextam; ab altero & eum, qui deſcriptus eſt, ſed graciliorem

(u) Albin. Tab. Muſcul. 12. Fig. 41. c. c.
(v) Id. Hiſt. Muſcul. pag. 337.
(w) Deſcript. Muſcul. Hom. pag. 202. 203.

Digitized by Google

rem & præterea alium, a cornu tertiæ ad ſextæ (*x*). Vidit Cowper rotundum, tenuem & longum, muſculum, orientem a proceſſu ſpinoſo vertebræ colli ſextæ, & deſinentem ad ſimilem proceſſum vertebræ ſecundæ colli; ſed in omnibus fere ſubjectis eundem abeſſe, fatetur (*y*). Similem in alio vidit, illumque Superſpinalem colli dixit (*z*).

Rectus capitis poſticus major alter.

Rectum capitis poſticum majorem, inter ſpinam ſextæ colli vertebræ & inferiorem oſſis occipitis partem, eſſe medium deſcriptio data demonſtravit (*a*). Ab externo hujus latere incedentem alterum, longiorem & exiliorem, in paucis obſervavit Albinus (*b*).

Singularis in collo.

Hic binis capitibus, cum Recto capitis interno majore, ortus a proceſſibus transverſis ſecundæ & ter-

(*x*) Albin. Hiſt. Muſcul. pag. 384.
(*y*) Myotom. reform. Tab. 44. Fig. 1. O. O.
(*z*) Id. Ibid. Tab. 46. H.
(*a*) Deſcript. Muſcul. Hom. pag. 203.
(*b*) Hiſt. Muſcul. pag. 385.

Digitized by Google

tertiæ vertebræ a dorſo, pertinebat ad extremum lunatum marginem transverſi quintæ; erant capita illis Recti ſimilia, confluebantque in musculum gracilem, ſenſimque graciliorem, abeuntem in finem tenuem & tendineum. Similis in alio adfuit, ſed uno capite oriens a cauda Scaleni prioris, quæ inſerta proceſſui transverſo tertiæ a dorſo; ex acuto craſſiore & ſe findente in caudas duas graciles, quarum prima brevior, inſertaque imo extremo tuberculi prioris proceſſus transverſi quintæ a dorſo; ſecunda longior & inſignior, ad atlantem cum cauda Scaleni medii pertinens, ſeſeque ad poſtremum cum interno latere illius conjungens (*c*).

Rectus lateralis capitis alter.

Aliquando loco unius Recti lateralis capitis duo inveniuntur, altero & eo inſigniore, procedente a proceſſu transverſo atlantis; altero ab ipſo corpore vertebræ, juxta proceſſum illum (*d*).

Supinator brevis alter.

In dextro latere mulieris robuſtioris hunc dupli-

(*c*) Albin. Hiſt. Muſcul. 410.
(*d*) Id. Ibid. pag. 415.

plicem ſeſe vidiſſe, ſcripſit Clar. Bonn. Uterque radio inſerebatur.

Extenſor proprius digiti medii manus.

Talem Clar. Albinus, nomine Extenſoris brevis digitorum manus, deſcripſit (*e*). Oriebatur ex canale illo, per quem ſe a cubito ad manum tendines Extenſoris communis digitorum demittunt, perque manus dorſum porrectus, tendinem ſuum (*f*) tendini Extenſoris communis (*g*) juxta principium digiti medii a parte indicis adjungebat. Exilis ſatis latus, & ex anguſto ſenſim aliquantum plenior & latior, dein rurſus tenuior & anguſtior; ventre longo, carne pallida, tendine tenui, anguſto, longo. Similem in alio in utraque manu vidit, qui tendine ad poſtremum extenuato, exilique pertinebat ad indicis principium, ſub cujus tendinibus extendentium musculorum, in membranis, quæ ſunt circa articulum indicis cum metacarpo, evanescebat, extrema parte in membraneam tenuitatem inſigniter dilatata.

Ad

(*e*) Annotat. Acad. lib. 4. cap. 6. pag. 28. Tab. V. Fig. 3. a. b.
(*f*) Id. Ibid. Tab. V. Fig. 3. b.
(*g*) Id. Ibid. Tab. V. Fig. 3. c.

Digitized by Google

Ad ſolum digitum medium pertinentem talem musculum, & ea propter a me Extenſorem proprium digiti medii manus dictum, bis hactenus obſervavi. In primo caſu, ex ſinu in inferiore parte radii, per quem, una cum ligamento quodam, canalem formantem, tendines Extenſoris communis digitorum decurrunt, lato admodum, tendineo, principio enascebatur; mox carneus ventrem formabat inſignem, oſſibus carpi oſſique metacarpi digiti medii incumbentem, & juxta idem deſcendentem, ubi pervenerat ad inferiorem dicti oſſis partem, ſeſe parum contrahens in tenuiſſimum tendinem, a latere digiti annularis, ſed in latiorem aponeuroſem in latere oppoſito, deſinebat. Aponeuroſis hæc, articulum oſſis metacarpi, cum ſuo digito prætergreſſa, confluebat cum tendine Extenſoris communis (*h*). In altero caſu juxta poſteriorem partem Indicatoris (*i*) ſitus, ab iisdem, ac ille, partibus originem trahebat; tendo ipſius cum tendine Indicatoris & cum Extenſore digitorum communi (*k*), ſub ligamento manus armil-

(*h*) Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 4. pag. 41.
(*i*) Deſcript. Muſcul. Hom. pag. 251.
(*k*) Ibid. pag. 240.

millari exteriore, decurrebat, comes tendini ejus, digitum medium petenti, ſed totus ab eo ſeparatus, ad nexum oſſis metacarpi digiti medii cum primi ordinis oſſiculo, & a latere digiti annularis in aponeuroſem Extenſoris communis evanescebat, ſenſim magis magisque extenuatus. In hoc caſu in utroque cubito detegebatur; in altero tantum in dextro latere.

Extenſorem proprium digiti indicis in ſubjecto quodam robuſto duos tendines habuiſſe, quorum alter, novus nempe, digito medio inſerebatur, notat Petſche (*l*).

Subcruralis.

Hic, in priore parte oſſis femoris inventus, ad membranam, quæ articulum genu continet, pertinebat. Oriebatur a femore, infra longitudinem ejus mediam (*m*), latescensque exibat in duas caudas (*n*), quæ divergentes, inque tenuem tendinem verſæ (*o*), ſe innectebant illi membranæ, ab

(*l*) Syllog. Obſervat. Anatom. ſelect. art. 28. in Halleri Collect. Diſſert. Anatom. Tom. 6. pag. 771.

(*m*) Albin. Annot. Acad. Lib. 4. cap. 5. pag. 27. Tab. V. a.

(*n*) Id. Ibid. Tab. V. Fig. 4. b. b.

(*o*) Id. Ibid. Tab. V. Fig. 4. c. c.

Digitized by Google

ab utroque patellæ latere. Venter non continuus erat, ſed in faſciculos, tanquam in plura capita, diviſus. In aliis alio modo conformatus fuit. Dubitat autem Clar. Albinus, an ad ſuperincumbentem Cruralem pertineat, a quo ſeparatus veluti aberret.

Deſcripſit talem etiam musculum Clar. Huber. Poſtquam removerat Vaſtum utrumque musculum cum Crurali, qui pro more vix infra dimidiam femoris partem ex oſſe ſuo egrediebatur, vere carneas offerebat femur anterius fibras, diſtinctas, paulo infra Cruralem, ſat lata, tenui tamen expanſione ex tertia oſſis parte, quæ genu proxima eſt, prodeuntes, ſine miscela omni cum fibris aliis vicinis: principio pollicis unius ſemis lato, ex ipſo oſſe, ſeu ex perioſtio, exibant eæ, & deſcendendo externam potius, quam exquiſite mediam, oſſis faciem obtegebant, ſicque latitudinem, qua oriebantur, hoc tamen in fibrarum decurſu ſervabant, quod exteriores extimam, fereque poſticam verſus inclinarentur oſſis partem, intimæ vero recta deſcenderent. Accedentes mox prope condyloſas femoris eminentias, in duos dehiſcebant faſciculos, cum hiatu inter eos celluloſo,

N quo

quo factum, ut interior eorum mediæ ſupremæque immitteretur patellæ, id eſt, principio ejus tendinoſo, membranaceo, exterior vero extimam ac vix paululum poſticam verſus condyli lateris ſui properaret partem ſupremam. Tenuis cæterum erat ſua ſtructura musculus, ejusque fibris muscularibus pinguedo interſperſa; tenuem itidem capſulam articularem genu, burſam ab aliis dictam, ubi recedit a femore, in tubera ſeu articularios condylos mox degeneraturo, potius adibat, in qua totus abſumebatur, quam ipſum condylum oſſeum, aut patellam (*p*). Poſtea in fœtu ſimilem musculum vidit. Remotis, inquit, musculis, qui crus anterius obtegunt, omnibus, integro ſervato eorum, quo patella regitur, confluxu, in denudato femore inferius ac anterius eadem offerebatur tenuis portio, carneo-fibroſa, vere muscularis, os inſimum proxime obtegens. Ex anguſtioribus fibris in latiorem prope expanſionem divergebat musculus, non vero patellam adibat, ſed adſitæ mox tenui membranæ illi, qua ſumma patella cum tuberibus articulatoriis femoris connectitur, & articularem cap-

(*p*) Act. Helvet. vol. 3. pag. 250.

capſam efformare adjuvat, immittebatur omnis (*q*). In aliis inſuper eundem deprehendit, ſic etiam ut concludat, conſtantem eſſe ejus præſentiam atque uſum (*r*); relaxatam quippe capſam tendere atque attrahere, ſecundum binarum inſertionum directionem, vel actioni musculorum, genu moventium, eandem accommodare valere, ipſi videtur (*s*).

Pſoas tertius.

Præter *magnum*, *parvumque*, *Pſoam*, tertium, illumque minimum, obſervavit Winslow, inter parvum vertebrasque ſitum, & iisdem partibus adhærentem (*t*).

(*q*) Act. Helvet. vol. 3. pag. 253. 254.

(*r*) Progr. Siſt. animadverſ. nonnullas anatomicas art. 7. in Theſaur. Diſſert. vol. 2. pag. 250.

(*s*) Act. Helvet. vol. 3. pag. 250. 251.

(*t*) Expoſit. Anatom. de la ſtructure du corps humain Tom. 2. pag. 146. Edit. Pariſ. 1766.

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

De tumore polypoſo, uteri cavum penitus opplente, & præternaturali viſcerum abdominalium, ex hydrope pectoris, ſitu. De ductu thoracico, cum vena ſine pari communicante, hujusque venæ decurſu ſingulari.

Vix cadavera, hoc illove morbo defunctorum, ſecari, quin viſcera, thoracis cavo incluſa, vitio quodam laborantia, conſpiciantur, ſæpius dictum eſt (*a*). Confirmavit hoc etiam illud, cujus ſectionem ante biennium inſtitui, quodque & alia memoratu digna exhibuit.

Dexter pulmo pro parte cum pleura erat concretus, ſic tamen, ut ſeparari potuerit; in ſiniſtro autem latere adeo firmiter & pleura & pulmo confluxerant, ut partes a ſe invicem diſtinguere, multo minus nexum ſolvere, non liceret (*b*). Cor cru-

(*a*) Conf. Obſervat. Anatom. Pathol. Lib. 1. pag. 9. 25. 42. 44. 45. 46.

(*b*) Ibid. Lib. 1. pag. 9. in not. pag. 42. not. g. g. pag. 44. ſeq. Lib. 3. pag. 83. not. c.

Digitized by Google

cruſta purulenta erat obductum (*c*), & intra pericardium inſignis collecta erat aquæ copia, qualis præſertim capacitatem pectoris dextram opplebat, ſic ut in hoc latere depreſſum & verſus abdominis cavum convexum quodammodo eſſet diaphragma. Hac de cauſa abdominalia viſcera naturalem reliquerant ſedem, & multo dimiſſiorem occupabant locum. Hepar, intra thoracis marginem contineri ſolitum, totum quantum infra eundem deſcenderat. Ventriculi, præter modum expanſi, *fundus infra umbilicum ſeſe offerebat*, immo locum, inter umbilicum & oſſa pubis medium, occupabat, unde & duodeni ſitus turbari debuit, reliquorumque inteſtinorum, præcipue coli, decurſus mutari.

Uterus diverſo ſenſu a ſtatu naturali receſſerat. Reliquerat quippe mediam pelvem, fundo ſuo deſcenderat, & verſus latus ſiniſtrum multum inclinabat, huic ligamentum ſiniſtrum breviſſimum, dextrum longiſſimum erat. Per pſeudomembranas cum partibus vicinis ſic cohærebat matrix, ut eandem loco movere non liceret, partes ipſius variæ, ova-

(*c*) Inſp. Obſ. Anat. Pathol. Lib. 3. pag. 83. not. c. Lib. 4. pag. 109.

Digitized by Google

ovaria, tubæ, tali modo inter ſe & cum utero connectebantur, ut præternaturales hasce concretiones ſolvere non liceret: aperturæ in tubis Fallopianis detegebantur nullæ, & ab uteri etiam cavo aërem non admittebant. Uterus ab anteriore & poſteriore non erat compreſſus, ſed tumidus multumque expanſus; orificium, ſat amplum, intra laxam hiabat vaginam.

Sectione ab orificio per cervicem & uteri corpus inſtituta, matricis ſuperficies interna glaberrima quidem erat, ſed forma cavi non, ut ſolet, triangularis, verum ovata deprehendebatur. Intra illud dependebat tumor, glabram, ſed non ubique æque æquabilem, monſtrans ſuperficiem, compreſſioni quodammodo cedens, ovatus, parte ſua inferiore paulo magis contractus, & in apicem quodammodo deſinens, qui cervicem intraverat, per eandem vero, utpote non admodum laxatam, erat compreſſus. Tumor hic cohærebat ope pedunculi cum interna ſuperficie matricis non longe a loco, ubi ſiniſtra tuba ſeſe aperire ſolet. Subſtantia hujus tumoris mollis erat, nec mirum, intra eandem enim continebatur veſicula, nigricante humore plena, & ſupra hanc, ſatis magnam, duæ aliæ mino-

Digitized by Google

minores, ſimili humore diſtentæ, inveniebantur.

Hoc quidem in corpore vaſorum diſtributiones aliæ, quam quæ obſervari ſolent, non fuere detectæ, ſed in alio, eadem hyeme, cultro Anatomico ſubjecto, ductus thoracicus duplicem habuit finem, alterum, illumque maximum, in venam ſine pari, & hæc per lac, cyſternæ lumbari immiſſum, æque ac vena ſubclavia, diſtendebatur. Hæc vena autem ex latere ſiniſtro non ſolito more admittebat venas intercoſtales, ſed ſuperiores aliquot confluebant, ramumque formabant ſatis capacem, qui tranſcendens corpora vertebrarum in truncum, juxta latus dextrum vertebrarum adſcendentem, ſeſe evacuabat; inferiores intercoſtales ſiniſtræ, pariter confluentes, alium formabant ramum, qui ad eundem ferme, ad quem deſcendebat ſuperior, locum adſcendebat, & ſeparato oſtio ſeſe in dictum truncum exonerabat.

In hydrope pectoris comprimi per collectam intus aquam pulmones; expandi totam thoracis capacitatem, vel alterutrum latus, ſi utraque pleura oppleta non eſt; vix autem, niſi a parte inferiore, ubi diaphragma inter pleuras atque peritonæum

næum datur, cedere poſſe; muſculum ergo hunc hac de cauſa deſcendere; capacitatem abdominis imminui; viscera, ſuperiorem ipſius partem occupantia, depelli, attenta contemplatio naturalis fabricæ ſitusque partium docet. Mirum itaque non eſt, tales, quales in enarrato caſu, imo longe notabiliores, deviationes fuiſſe ab Anatomicis viſas.

Memorat Scacher ſeſe in tabido diaphragma ad os ilium deſcendens obſervaſſe (*d*). In cadavere mulieris inſignem hydropem pectoris deprehendit Matthæus Harderus: pulmones putredine plane conſumti erant, ſiniſtrum vero latus tres ſeri putridi menſuras continuit, ita ut ab aquarum copia diaphragma, eâ qua œſophagus progreditur parte, inſtar ſacci verſus ſiniſtrum renem protruſum fuerit, ventriculo hepati, quod immenſæ magnitudinis erat, ſuperjacente (*e*). Depreſſum a dextris diaphragma etiam vidit Morgagni, quando tanta illi diaphragmatis parti aqua incumberet, ut etiam mediaſtinum, quamvis craſſius factum, ſiniſtrorſum impelleret (*f*); idem a ſiniſtris vidit in cadavere

(*d*) Conf. Halleri Elem. Phyſiol. Tom. 3. pag. 74.
(*e*) J. J. Harderi Apiar. pag. 217.
(*f*) De ſed. & cauſ. morborum Epiſt. 26. art. 26.

Digitized by Google

vere mulieris, cui ſerum copioſum in ſiniſtro thoracis cavo erat (*g*). In alio cadavere ſeptum transverſum non in fornicis modum adſcendere, ſed deorſum potius concidere, obſervavit (*h*).

Cum jam Diaphragma hoc in caſu adeo deſcendit, viscera, cum eodem connexa, & ſub illo ſita, etiam aliam acquirere debent ſedem; hepar hinc, & ventriculus (*i*) longe dimiſſiori conſpiciebantur loco, verum hoc non ſolummodo depulſo diaphragmati videbatur adſcribendum, ſed & *uſui thoracis rigidi*; quo totus hujus fœminæ thorax, præſertim ab inferiore, erat arctatus; pesſimis enim illis machinis, infantibus, adultioribus, gravidis, ut inter alios egregie probavit Platnerus (*k*), perquam noxiis, & multa, eaque diverſi generis, mala adferentibus, tali ferme modo turbatur viscerum abdominalium ſitus, quali mutari, quando incurvata ſpina dorſi eſt, & oſſa, tho-

(*g*) Ibid. Epiſt. 45. art. 16.
(*h*) Ibid. Epiſt. 26. art. 21.
(*i*) Conf. quæ de præternaturali ventriculi ſitu monui in Obſerv. Anatom. Patholog. Lib. 3. pag. 11. 24. Quibus addi poſſunt Auctores ab Hallero Elem. Phyſiol. Tom. 6. pag. 118. citati.
(*k*) In Diſſert. de Thoracibus Opuſc. Tom. 1. pag. 95.

Digitized by Google

thoracem conſtituentia, multum etiam vitiata ſunt, alio loco probavi (*l*).

Uteri (cujus abſentia, ſubinde annotata, nupero exemplo (*) confirmatur) ſitus obliquus (*m*); liga-

(*l*) Tab. inteſtini duodeni pag. 31. & Tab. V. Fig. 1. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 4. pag. 60. not. o. —— In muliere ſexagenaria viſcerum abdominalium ſitum maximopere mutatum, ex corrupta figura trunci corporis, vidit Doct. Velſe. Ventriculus magna ſua parte deorſum & ſimul dextrorſum notabiliter detruſus erat, ita ut, infra umbilicum hærens, fundo ſuo ipſam mediam oræ pelvis oſſeæ partem contingeret, & magnam ſui partem intra cavum dextrum abdominis locaret. Hinc ejus forma etiam multum alterata & triangularis quaſi fuit. Hepar, prægrande, ex hypochondrio dextro deturbatum, cavitatis oſſis ilium partem propemodum tertiam occupaverat. In lienis, fere ſub lineam albam abdominis detruſi, ſuperficie exteriori erat a coſta, intra abdomen admodum protuberante, exſculpta profunda fovea. Inteſtinorum gracilium portio potior in cavum dextrum abdominis adacta. Principium inteſtinorum craſſorum una cum proceſſu vermiformi in ſuperiore & anteriore regione cavitatis pelvis detegebatur, inſidens utero & alæ veſpertilionis illius lateris. Colon poſt flexum ſuum ſigmoïdeum primum horizontaliter quidem per ventrem decurrebat usque in ſiniſtras, ſed inde poſtliminio multum in dextras revertebatur, & tertio in ſiniſtras iterum revolutum demum pelvim verſus ducebatur. Diſſ. de mutuo inteſtinorum ingreſſu, Obſ. 6. in Halleri Collect. Disput. Anatom. vol. 7. pag. 152.

(*) De uteri abſentia varia exempla Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 2. pag. 62. not. *. Lib. 4. pag. 61. 62. not. q. collegi,

Digitized by Google

ligamentorum diverſa longitudo (*n*); pſeudomembranæ, matricis partes varias connectentes, aut & eandem cum vicinis copulantes (*o*); tubarum orificia occluſa (*p*); toties, ab aliis, a me viſa ſunt, ut nil amplius de hisce deviationibus monendum videatur; aſt de tumore, utero contento, vere polypoſo, utpote & ortum polyporum, & poſſibilem, ligaturæ ope, extirpationem comprobante, pauca dicenda ſunt.

Ut utero variæ indolis, diverſæ magnitudinis, non

legi; in cadavere autem fœminæ, viginti duos annos natæ, vaginæ oſtium membrana tendinoſa clauſum, defectum uteri & vaginæ, præſentia autem ovaria & tubas, quæ deſinebant in veſicam, cum recto, ut in viris, nexam, obſervaſſe H. T. Engel, & deſcripſiſſe huncce caſum in Diſſertatione de utero deficiente, legitur in Zugabe zu den Göttingiſche Anzeigen 1782. 46. ſt. pag. 734.

(*m*) Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 1. pag. 107. Lib. 2. pag. 29. not. l. pag. 57. 61. 62. ſeq. Lib. 4. pag. 58. 61. — Uterum non in media pelvi, ſed proxime ad latus ejus ſiniſtrum, locatum, ligamenta illius lateris breviſſima, alterius vero perquam longa vidit Clar. Stoll, in cadavere fœminæ, quadraginta annorum, olim plurium prolium matris, ſed hujus uteri poſticæ & externæ faciëi adhærebat corpusculum magnitudinis caſtaneæ majoris. Rat. med. part. 2. pag. 378.

(*n*) Obſervat. Anatom. Patholog. Lib 2. pag. 58.

(*o*) Ibid. Lib. 1. pag. 61. Lib. 2. pag. 59. 61.

(*p*) Ibid. Lib. 1. pag. 58. 60. 73. Lib. 4. pag. 64. 65. not. t.

Digitized by Google

non raro accreſcunt (*q*) tumores, ſic intus etiam, ex minimis initiis producti, tantam ſæpe molem acquirunt, ut non matricis cavum tantummodo adim-

(*q*) Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 1. pag. 106. Lib. 4. pag. 113. In cadavere mulieris, quinquaginta circiter annos natæ, plures tumores cavum pelvis replebant, ſurſum repulſis inteſtinis tenuibus. Pone veſicam urinariam, ſupra oſſa pubis prominentem, & multa urina diſtentam, durus, magnus, inæqualis apparuit uterus, in facie poſteriore multis ſcirrhoſis tuberculis variegatus. Ad latera fundi uteri alii tumores inæquales duri apparebant, quorum dexter major erat tuba Fallopii craſſa, dura, inæqualis, convoluta, tota ſcirrhoſa. —— Ab utroque ovario ſcirrhoſæ indurationes comitabantur vaſa ſpermatica verſus eorum origines. —— Glandulæ lumbares etiam erant ſcirrhoſæ. —— Ureteres adeo erant dilatati, ut capacitate ſua inteſtinis tenuibus non multum cederent; pelves renales ab urina contenta etiam multum erant ampliatæ. —— Uteri collum craſſum erat atque ſcirrhoſum, & in ſua poſteriore parte tantum tumorem oſſi ſacro adpreſſum fecerat, ut non niſi ſatis anguſtum ſulcum pro deſcenſu inteſtini recti reliquerit. Ad utrumque colli uteri latus fuit alius utrimque, medium pagnum magnitudine ſuperans, tumor durus, inæqualis, ex glandulis lymphaticis ſcirrhoſis, ad diviſionem vaſorum iliacorum ſitis, natus. Hi duo glanduloſi tumores cum cervice uteri, cui adhæſerunt, cavum pelvis undique explebant, ad os ſacrum ipſum, præcipue in latere dextro, accreti; vaſa hypogaſtrica vel maxime ad oſſa pelvis adeo compreſſerant, ut inde ſanguinis venoſi ab utero, vagina, & præprimis inteſtino recto, reditus notabiliter tardari ac impediri debuerit. Hi tumores urinæ in veſicam defluxum ex ureteribus multum impediverant, nam erant ureteribus prope ſuam in veſicam inſertionem multum accreti, ut notabiliter eos compreſſerint. Subſtantia uteri ipſiusque colli ad digitum & ultra craſſa erat & ſcirrhoſa;

Digitized by Google

impleant, verum per cervicem perque oſtium vaginam intrent, oppleant, expandant.

Minimum illorum initium jam alibi (*r*) verbo deſcripſi, & ſimile notarunt alii. Morgagni in cavea uteri tres excreſcentias vidit, harum maxima paulo minori erat ambitu, quam unguis digiti pollicis, nec valde craſſa, undique ſoluta, niſi qua per non tenuem pedunculum cum ſummo caveæ fini-

rhoſa; facies interna inæqualis exulcerata; ex anteriore ejus parte tumor ſcirrhoſus ovi gallinacei magnitudine excrevit, qui jam in anteriore uteri facie prominens obſervatus eſt. Inter hunc tumorem & fundum uteri materia purulenta reperta eſt. Collum uteri interne totum lacerum, ulceroſum, gangrænoſum erat. In veſicæ urinariæ cavitatis parte poſteriore etiam ſcirrhoſa tubercula aderant. Ad anum tubercula hæmorrhoïdalia. Vexata fuerat fœmina doloribus in hypogaſtrio, fluore albo, hæmorrhagia uteri frequente, varicibus, alvo tarda, difficili urinæ excretione, vomitu. Prochaska Annotat. Acad. faſc. 2. pag. 37. ſeq. —— In cadavere alius, cujus morbi hiſtoriam etiam enarrat, glandulas ad diviſionem vaſorum iliacorum poſitas, induratas, & adeo tumidas conſpexit, ut mediocrem pugnum æquarent, & diſſectæ materiem pultaceam puriformem fundebant, quæ etiam vaſa iliaca & præcipue venas multum ad oſſa pelvis compreſſerant: uterum durum, vidit, tumidum, inæqualem, & ſubſtantiam ipſius ad duos digitos transverſos craſſam ac ſemicartilagineam. Collum uteri totum corroſum, lacerum erat. Hæmorrhagia uteri, fluore albo fœtido, vomitu, dolore capitis, & ventris acerbiſſimo, laboraverat. Ibid. pag. 58.

(*r*) Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 2. pag. 60.

Digitized by Google

ſiniſtro latere committebatur: altera aliquanto infra eum locum intervallo, ſubrotunda, mediocris: minima tertia paulo infra primam locata; hæc conpuncta aquam emiſit, quaſi hydatidem intra corticem, ex nigro cruentum, contineret (*s*). Apertam uteri caveam in alio cadavere circa longitudinis medium multo ampliorem in transverſum conſpexit, quam ſoleat; ibi vero, aut potius paulo ſuperius, erant in altero latere anterior uteri facies & poſterior inter ſe per interjectam membranulam connexæ; ab oppoſito autem latere excrescentia incipiebat, quæ ei uni loco adfixa, cætera ſoluta, ſe extendebat circuli forma, cujus diameter aliquanto eſſet amplior transverſo pollice. Subſtantia eadem ferme erat, qua uterus, niſi quod mucoſi aliquid intermixtum habere videbatur. A latere altera pendebat excrescentia parva, eadem, atque illa, ſubſtantia (*t*). —— Vidit Tanner uterum, in quo duæ excrescentiæ albidi coloris, magnitudine thalamum floris tanaceti referentes, viden-

(*s*) De ſed. & cauſ. morborum Epiſt. 46. art. 24. Conf. Levret Memoires de l'Academie de Chirurgie. Tom. 3. pag. 586. Planche 17. A.

(*t*) De ſed. & cauſ. morborum. Epiſt. 47. art. 28. 29.

Digitized by Google

dendæ erant, quarum una in fundo alia in corpore uteri locata erat. Ope petioli altius uteri ſubſtantiæ infigebantur (*u*).

Talibus minimis initiis producuntur vel ex fundo uteri vel ex collo, vel ex margine orificii externi, vel ex parte quavis alia, &, vel cavi vel ſolidi, in magnitudinem ſæpe enormem extenduntur (*v*); primo quidem videntur acquirere formam figuramque caveæ uteri; hanc dein extendunt, in cervicem intrant, hanc pariter dilatant, diſtrahunt tunc, aperiuntque orificium; & non tantum in vaginam (*w*), ſed & extra corpus (*x*) protruduntur, ſymptomataque excitant, facile derivanda ex tumore, pondere, tenſione partium, preſſione in veſicam urinariam, rectum inteſtinum, vaſa, nervos.

Quum autem non ope plurimarum radicum, quemadmodum putarunt veteres, ſed per pedunculum, cum hac illave parte uteri cohæret polypus,

(*u*) Diſſ. de polypo, feliciter ex utero extirpato. Argent. 1771. pag. 8.

(*v*) Levret Memoir. de l'Acad. de Chirurgie. Tom. 3. pag. 618. ſeq.

(*w*) Id. Ibid. Tom. 8. pag. 569. Pl. 15. 16.

(*x*) Tanner lib. cit. pag. 2.

Digitized by Google

pus, ſequitur, ligaturam, huic injectam, impedire, quominus nutriatur; nutritio autem ſi plane tollitur, ſolvi, cadere debet, hinc hocce medium in uſum vocant peritiores, ut ægras a tali malo liberent. Non quidem adeo facilis acceſſus ad partem ligandam datur, verum per inſtrumenta, a variis hunc in finem propoſita, deſcripta, adhibita, commode ſatis, perità manu, hæc ligatura adminiſtratur (*y*).

Quamvis communicatio ductus thoracici cum vena ſine pari frequens non ſit, antea tamen illam a me, ab aliis, eſſe viſam, memoravi (*z*), & hoc in luſu non adeo multum videtur quærendum, quia hæc vena, æque ac ſubclavia, ſeſe exonerat in cavam ſuperiorem. Venæ ſine pari varietates alias alibi etiam adduxi (*a*), minime itaque neceſſe videtur, de his luſibus, quos ſupra verbo tantum deſcripſi, latius agere.

(*y*) Conf. inter alios, bene multos, qui de hac operatione egerunt Levret loc. cit. Richter anfangsgründe der Wundarzneykunſt. Erſter Band pag. 399. ſeq. Herbiniaux Traité ſur divers Accouchemens laborieux, & ſur les polypes de la matrice. Tom. 2. pag. 90. ſeq.

(*z*) Obſervat. Anatom. Pathol. Lib. 2. pag. 138.

(*a*) Ibid. Lib. 2. pag. 126. & not. b. Lib. 4. pag. 12. 16. not. r. 97.

C A-

Digitized by Google

CAPUT OCTAVUM.

De Charteriana editione operum Hippocratis & Galeni.

Hippocratis & Galeni Opera, Græce & Latine, a Renato Charterio edita, quamvis inter rariores libros numerari non poſſint, quippe in publicis & privatorum Bibliothecis ſæpe occurrentia, attamen hujus Editionis completa exemplaria vix dari, ſaltem rariſſime occurrere, doluerunt mecum multi, ac difficultatem perſpexerunt cognoſcendi, quænam ratio ſit, quod omnia non eodem modo ſeſe habeant. Hanc in rem omni ſtudio inquirens, detexi, ſcriptam anno 1776. a Doct. de Villiers, Medico Pariſino, de dicta Hippocratis & Galeni editione eſſe epiſtolam, diario cuidam (*a*) inſertam, & ſeparatim etiam, ſed inter paucos, diſtributam (*b*); hanc pervolvens, &

(*a*) Extrait des Mémoires littéraires, critiques, philologiques, biographiques, & bibliographiques, pour ſervir à l'hiſtoire ancienne & moderne de la médecine, dédiés à Monſeigneur le Garde des Sceaux par M. J. Goulin. à Paris 1776. pag. 211. art. 19.

(*b*) Titulus hicce eſt: Lettre de M. de Villiers, Docteur-Regent

Digitized by Google

& cum diverſis dicti libri exemplaribus conferens, multa quidem de editione hacce cognovi, ſed ſimul alia quædam detexi, quæ ſcitu maxime neceſſaria, communicatu itaque digna, cenſui omnibus, quibus hunc ſibi comparare librum volupe fuerit.

Non niſi unica hujus libri prodiit editio, cujus, anno 1633. inchoatæ, decem tomi ab ipſo Charterio fuerunt in lucem emiſſi, octo nempe, ſex priores, octavus atque decimus tertius, anno 1639; duo, ſeptimus atque undecimus, anno 1649; reliqui vero tres, nonus, decimus, & duodecimus (mortuo 1654. Charterio), anno 1679, opera Doct. Blondel & le Moine lucem adſpexerunt publicam. Totum vero opus ab ipſo Charterio jam fuiſſe abſolutum, antequam primum volumen in lucem emiſit, abunde probat index univerſus operum Hippocratis & Galeni, quæque ſingula ſinguli tomi complectentur, tomo primo præfixus, quæ ratio fuiſſe videtur, quod ordinem in imprimendis voluminibus ſervare coactus non fuerit (*c*). Tre-

gent de la Faculté de Medecine de Paris, à M** Docteur en Medecine; ſur l'édition grecque & latine des œuvres d'Hippocrate & de Galien, publiée par Rene Chartier.

(*c*) De Villiers Lettre pag. 5.

Tredecim itaque tomi componunt totum opus, non quatuordecim (*d*), decimum quidem quartum adjungere conſtituerat Charterius, qui tum rerum tum verborum cujuscunque operis indicem complexurus fuiſſet (*e*), ſed, morte impeditus, hunc non compoſuiſſe videtur, hic itaque, licet in titulis tomorum, quos ipſe edidit, indicatus, ſemper abeſt, quemadmodum notæ conciſæ atque variæ lectiones, quæ decem tomis, a Charterio divulgatis, finem imponunt, in nono, decimo, & duodecimo, non inveniuntur.

Errant itaque, qui duas eſſe editiones (*f*) ſtatuunt; errant, qui eandem quatuordecim voluminibus formari autumant (*g*), imo quarto decimo

(*d*) Solent plerumque tredecim tomi in novem volumina compingi; ipſe Charterius tres priores tomos conjungendos voluit, ut & quintum cum ſexto, undecimum cum duodecimo, ut volumina mole prope conſimilia eſſent. Vid. Charterii Præf.

(*e*) Vid. Charterii Præfatio.

(*f*) In hunc errorem facile quis incideret, ſi vel adtendit ad ſummam Privilegii, præfixam volumino primo illorum exemplarium, quæ 1679. divulgata ſunt: ibi enim legitur: *præſens editio perfecta eſt* &c., unde ſequeretur, hanc editionem præceſſiſſe aliam; quod etiam quisque concluderet ex iis, quæ circa Charterianam Operum Hippocratis & Galeni editionem habentur apud E. G. Keſtner Biblioth. Medic. pag. 88.

(*g*) Sic Keſtner in Medicinisches Gelehrten Lexicon Jena 1740. pag.

Digitized by Google

cimo indicem contineri audacter adfirmant (*h*).

Attamen ſi quis diverſa conſulit exemplaria, alia anno 1639, alia anno 1679 fuiſſe in lucem emisſa, præfixi tituli docere videntur, verum commisſa a Bibliopolis, in quorum manus hujus libri omnia exemplaria pervenerant, fraus eſt, novum tunc temporis primo tomo præfixerunt titulum; mutarunt reliquos, omiſerunt ex iis, quæ ſuæ editioni præfixerat Charterius, talia, quæ mox probaſſent, opus hoc non altera vice fuiſſe impreſſum, ſed mutatum ſolummodo eſſe titulum, immo in titulo primi tomi nullam fecerunt mentionem indicis, quippe nec exarati nec edendi, de quo tamen locutus fuerat Charterius. Differentia ergo, quæ inter Exemplaria anno 1639 edita, & inter illa, in quorum titulis annus 1679 legitur, conſiſtit tota in iis, quæ tomo primo addita & præmiſſa ſunt.

Præ-

pag. 194. errorem autem hunc correxit in Biblioth. Med. pag. 88. Hallerus varias operum Hippocratis editiones recenſens, Charterianam quatuordecim contineri voluminibus adfirmat Biblioth. Med. Pract. Tom. 1. pag. 92., ubi vero enarrat ea, quæ præſtitit Charterius, hanc abſolvi tredecim tomis, recte monet Ibid. Tom. 2 pag. 641.

(*h*) Videatur G. Stollen anleitung zur Hiſtorie der Mediciniſchen Gelahrheit. Jena 1737. pag. 87. 88. not. k.

Digitized by Google

Præfixit quippe tomo primo Charterius.

1. Titulum, in quo hæc leguntur verba. Univerſæ Hippocratis & Galeni Opera.

2. Tabulam æneam, in qua, præter titulum ipſius operis, Græcâ & Latinâ linguâ, præter ornamenta alia, exſculptæ conſpiciuntur effigies Ludovici XIII. Galliarum ac Navarræ Regis; Ludovici Filii, Delphinat. Principis; Armandi Cardinalis ducis de Richelieu, Franciæ paris.

3. Titulum generalem, Magni Hippocratis, Coï, & Claudii Galeni Pergameni Archiatrωn univerſa, quæ extant opera. Renatus Charterius Vindocinenſis, Doctor medicus Pariſ., Regis Chriſtianisſimi conſ. medicus, ac Profeſſor ord. plurima interpretatus, univerſa emendavit, inſtauravit, notavit, auxit, ſecundum diſtinctas medicinæ partes in tredecim tomos digeſſit, & conjunctim Græce & Latine primus edidit; Aſtruxit & medicam ſynopſin, rerum his in operibus contextarum indicem. Lutetiæ Pariſiorum 1639. cum Privilegio Regis. Ornatur præterea hicce titulus effigie Hippocratis & Galeni.

4. Orationem ad ampliſſimum & conſultiſſimum Pariſienſium medicorum ordinem R. Charterii pro

Græco-latina editione operum Hippocratis & Galeni. Huic inſerti ſunt duo indices; primus operum Latine duntaxat editorum, quorum græcus textus maxime deſideratur; ſecundus operum Galeni, quæ neque Græce neque Latine in Galliam pervenerunt, ut ſtudioſi omnes ad eorum indagationem concitarentur, eaque conperta, ac Græce conſcripta, Lutetiam ad Charterium medicum deferantur, editionem hanc cum inſigni inventorum elogio illuſtratura (*i*). Acce-

(*i*) Duo hi indices a Charterio ſeparatim fuerunt divulgati ſequenti titulo: Operum Galeni, quæ non extant, omnium Index Am. Renato Charterio, Doctore medico Pariſienſi, Regis Chriſtianiſſimi Conſ. medico ac Profeſſore collectus, qui viros ſapientiſſimos ſupplex orat, ut ea ſtudioſe quærant, & comperta, Græceque conſcripta, Lutetiam ad ipſum mittant, inventoribus gratias elogiis, & honorariis acturum. Pariſiis apud Simeonem Piget, viâ Jacobæâ, ad inſigne fontis. Continet paginas 39. & formæ eſt admodum parvæ. Adſervatur hicce index in Bibliotheca publica noſtræ Univerſitatis, una cum editione Hippocratis Charteriana, quam olim poſſedit Iſaacus Voſſius. Primum vero indicem pariter ſeparatum edidit titulo: Index operum Galeni, quæ Latinis duntaxat typis, in lucem edita ſunt: eorum aliquod Graecum in Bibliothecis locupletioribus abditum, aut etiam aliud in editione Baſileënſi aut Venetiana minime poſitum ſi comperiatur, id Græce tranſcriptum Lutetiam ad R. Chartier, Doctorem Medicum Pariſienſem, Conſ. Regis Chriſtianiſſimi, nec non ſuæ Majeſtatis medicum, & Profeſſorem Ordin. ut mittatur, obnixe rogat is, cujus curæ operum, quæ extant, omnium Hippocratis & Ga-

Digitized by Google

Accedit & tertius index textuum & operum Græcorum, Charteriana editione in lucem recens prodeuntium.

5. In Editionis Charterianæ operum Hippocratis & Galeni approbationem, & ampliſſimam gratiarum actionem, ſaluberrimæ Facultatis Medicæ Pariſienſis decretum VI. Idus ſextiles anni 1637.

6. Ordinem conſultiſſimum ſapientiſſimorum ſaluberrimæ Facultatis medicæ Pariſienſis Doctorum hodiernam vitam degentium.

7. Præfationem ad candidum, benevolum, ſtudioſum, ac ſapientiſſimum Lectorem.

8. In-

Galeni editio, ſupremo ſanctioris conſilii decreto & privato privilegio demandata eſt. Sed properandum, quia prior tomus jam editus eſt. die 29. Auguſti 1633. in 4°. pag. 4. Goujet itaque recte notavit (Hiſt. du College Royal de France Tom. 3. pag. 134.) primo loco memoratum libellum a Charterio editum fuiſſe, & formare parvum volumen triginta & novem paginas continentem; immerito de eodem dubitat Doct. de Villiers (Lettre pag. 18.), & hujus error inde natus eſt, quod crediderit, ſolummodo primum indicem illo opuſculo contineri, hunc vero adeo parvum eſſe, ut adimplere triginta & novem paginas, etiam minimas, non poſſet; ſed duo, in textu memorati, indices, nempe operum latine duntaxat editorum, quorum græcus textus maxime deſideratur, & eorum, quæ neque græce neque latine in Galliam pervenerunt, græcâ & latinâ linguâ in eodem leguntur impreſſi.

Digitized by Google

8. Indicem univerſum operum Hippocratis & Galeni, quæque ſingula ſinguli tomi complectentur.

9. Titulum tomi primi operum Hippocratis Coï, & Galeni Pergameni, medicorum omnium principum. In hoc titulo, ut in omnibus, quid tomo comprehendatur, dicitur, isque ornatur dicta Hippocratis & Galeni effigie.

10. Contenta tomi primi.

11. Dedicationem Ludovico Juſto Galliarum & Navarræ Regi Chriſtianiſſimo.

12. Dedicationem Armando Joanni, eminentiſſimo Cardinali, Duci Richelio, Galliarum Pari.

Quæ duodecim hisce articulis fuere memorata, in exemplaribus, quibus annus 1679. præfixus eſt, non inveniuntur omnia. Mortuo quippe Ludovico XIII, mortuo etiam duce Richelio, dedicationes erant omittendæ, rejiciendus etiam titulus generalis, æri inſculptus, quippe quo & Regis & Ducis effigies erant depictæ. Ea vero, quæ tomo primo præfixa ſunt, huc redeunt.

1. Titulus generalis, idem ferme, qui ſupra ad num. 3. memoratus eſt, ea tamen differentia, quod legatur Hippocratis Coï, non vero magni Hip-

Digitized by Google

Hippocratis Coï: quod omiſſa ſint verba ſequentia; *aſtruxit & medicam ſynopſin, rerum his in operibus contentarum indicem*, quod additum ſit *apud Andream Pralard, Bibliopolam viâ Jacobæâ, ad inſigne occaſionis* 1679 (*k*). Adſunt & Hippocratis & Galeni effigies, ſed uſu adeo detritæ, ut vix eædem eſſe videantur, quibus uſus eſt Charterius.

2. Monitum: omnes facillime intelligere, quantum debeamus Charterio ob egregie navatam operam interpretandis, emendandis, adnotandis, diſtinguendis Hippocratis & Galeni archiatrωn operibus, ſed multum acceptum referri oportere Carolo du Gard, in Pariſienſi Parlementi curia cauſarum patrono, atque apud magnum Regis conſilium Procuratori Regio & Generali; niſi enim Vir ille ſingulari cura ac ſtudio ea, quæ relicta fuerunt a Charterio, manuſcri-

(*k*) Alia exemplaria dicuntur impreſſa apud Jacobum Villery, Bibliopolam, viâ dictâ *de la veille bouclerie* ad inſigne ſtellæ 1679. Alia apud Petrum Aubouïn, Bibliopolam in area Palatii, prope ædes Senatus principis ad inſigne lilii. Ratio, quare non omnia exemplaria apud eundem Bibliopolam dicantur impreſſa, ex iis, quæ ad num. 5. dicentur, facillime intelligetur.

Digitized by Google

ſcripta conſervaſſet, magnum illud Charterii opus, in lucem & communem uſum, non niſi bona ſui parte mancum atque imperfectum, potuiſſe in lucem emitti: ex hac tamen ſingulari in ſocerum pietate, & egregia de publico bene merendi voluntate ac ſtudio vix unquam, quem optabat, fructum, illum reportaturum fuiſſe; niſi Petrus Aubouïn, Andreas Pralard, & Jacobus Villery, inſignes Bibliopolæ Pariſienſes; tam immenſum opus in lucem edendum ſuſcepiſſent, & ut caſtigatius, omnibusque numeris abſolutum prodiret, medicum quemque conſuluiſſent, imprimis viros Clariſſ. Blondel & le Moine, quorum opera, conſilio, atque eruditione feliciter uſi eſſent in ſuperandis multis difficultatibus, colligendisque aliquot locorum pravitatibus.

3. Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis, in hujus operum Hippocratis & Galeni editionis Charterianæ approbationem, decretum; Kalendis Octobris 1678. Le Moine Decano.

4. Conſultiſſimorum ſaluberrimæ Facultatis medicinæ Pariſienſis Doctorum Ordo an. 1679.

5. Summa Privilegii, a Rege Chriſtianiſſimo, Ludovico

dovico XIV. conceſſi Andreæ Pralard, qui ejusdem Privilegii participes fecit Petrum Aubouïn & Jacobum Villery, Bibliopolas Pariſienſes, juxta pactum inter eos innitum. Additur, præſentem editionem perfectam eſſe die 20 Maji anni 1679, atque exemplaria tradita.

6. Oratio ad ampliſſimum & conſultiſſimum Pariſienſium medicorum ordinem, eadem, de qua pag. 117. ad num. 4. dixi, cui inſerti etiam iidem indices ſunt, adjunctusque tertius, de quibus pariter mentionem feci. Inſequitur hæc oratio ſummam privilegii, licet præcedentis paginæ cuſtos, *ad candidum*, docere videatur, ad candidum Lectorem præfationem Charterii ſequi debere, ſed ſignatura, illi præfationi ſubjecta, monet, præfationem ſequi orationem debere.

7. In editionis Charterianæ operum Hippocratis & Galeni approbationem & ampliſſimam gratiarum actionem, ſaluberrimæ facultatis medicæ Pariſienſis decretum VI. Idus ſextiles anni 1637.

8. Conſultiſſimus ſapientiſſimorum ſaluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Doctorum hodiernam vitam degentium ordo.

Digitized by Google

9. Ad candidum, benevolum, ſtudioſum, ac ſapientiſſimum Lectorem R. Charterius.

10. Index univerſus operum Hippocratis & Galeni, quæque ſingula ſinguli tomi complectentur.

Ex hac comparatione Exemplarium anni 1639 & 1679 conſtat, in ultimis nunquam dari ea, quæ pag. 117. & 120. ad num. 1. 2. 9. 10. 11. 12. fuere deſcripta; contra in iisdem dari, quæ pag. 117. 118. 119. ad num. 2. 3. 4. 5. leguntur. Vix itaque magna & notanda intercedit differentia, ſaltem uſui eidem ambo inſerviunt æque facile. Sed quoad titulos differentia adhuc quædam occurrit, paucis notanda. Omnes tomi, qui anno 1639 prodierunt, primus, ſecundus, tertius, quartus, quintus, ſextus, octavus & decimus tertius, ornantur nitida effigie Hippocratis & Galeni; ſeptimus & undecimus, quos, ut præcedentes, edidit Charterius, ſed anno 1649, easdem monſtrant effigies, ſed jam obſoletas, videntur enim ad illud usque tempus tot titulorum exemplaria impreſſa, ut ſculptura nitorem jam amiſerit. Hujus editionis tituli dicuntur fuiſſe impreſſi Lutetiæ Pariſiorum, abſque ut nomen Bibliopolæ addi neceſſe fuerit, quum ex Privilegio Regis di-

ſtri-

Digitized by Google

ſtributio ipſi Charterio eſſet commiſſa. Divulgati poſtea, anno 1679., ſunt tomus nonus, decimus, atque duodecimus a Bibliopolis Pralard, Aubouïn, & Villery, inter quos exemplaria videntur fuiſſe diſtributa, ſic ut horum quisque ſuis ſuum adſcripſerit nomen, & hi tomi primi, ſecundi, tertii, quarti, quinti, ſexti, octavi, noni, decimi tertii, titulos ſic mutarunt, ut tomo primo novum plane præfixerint, addito anno 1679; in reliquorum vero, (quos modo nominavi, & quorum ſat magnus ad manus fuiſſe videtur numerus, abſque ut illis impreſſæ fuerint dictæ Hippocratis & Galeni effigies) titulis annum MDCXXXIX mutarunt in MDCLXXIX, agglutinando primo X litteram L. Septimus atque undecimus impreſſi erant anno MDCXLIX, hunc vero annum pariter mutarunt in MDCLXXIX, adglutinando litteris XL parvam chartam cum litteris LXX. Loco effigierum aliud poſuerunt ornamentum.

Tomus primus abſolvitur paginis 102; ſecundus 406; tertius 244. (*l*); quartus 714; quintus 470;

(*l*) Doct. de Villiers hunc tomum continere paginas 444. dicit, non vero plures habet, qnam 244; error inde natus videtur;

470; ſextus 553; ſeptimus 908; octavus 925; nonus 602 & 418 (*m*); decimus 723; undecimus 575. (*n*); decimus tertius 1026.

Optimum, & omni ſenſu completum, exemplar dici debet, quid componitur ex tomis a Charterio editis, primo, ſecundo, tertio, quarto, quinto, ſexto, octavo, decimo tertio anno 1639. ſeptimo & undecimo, anno 1649, & quorum titulis omnibus impreſſæ ſunt effigies Hippocratis & Galeni; porro ex tomis nono, decimo, & duodecimo editis anno 1679 (*o*) a Bibliopolis Pralard, Auboüin, & Villery, & quorum in titulis non dictæ effigies, ſed aliud ornamentum impres-

tur, quod ſolummodo adtenderit ad paginam ultimam, cui inſcriptus eſt numerus 444, verum ex errore typographico paginam 241. inſequuntur 442. 443. 444.

(*m*) Hoc tomo continentur partes duæ; in plerisque exemplaribus tamen ſecundæ parti, aphorismos Hippocratis complectenti, titulus non additus eſt; in aliis titulus talis datur, & vel talem vidi, cui ejusdem Bibliopolæ nomen, quod parti primæ præfixum erat, non erat impreſſum.

(*n*) Huic duodecimo tomo, ea continenti, quæ ad Chirurgiam ſpectant, additæ ſunt tabulæ æneæ decem, inſignem figurarum (quibus omnibus adſcriptus locus eſt, ubi de iisdem ipſo in opere agitur) numerum offerentes, & machinamenta varia, laqueos, faſcias, modos fracta luxata reſtituendi, ob oculos ponen-

preſſum, modo tomo duodecimo omnes, de quibus dixi, tabulæ æneæ additæ ſint.

ponentes. Hæ tabulæ, quas adeſſe debere titulus tomi hujus etiam indicat, quippe in quo hæc leguntur, *cum figuris æneis ſuo loco inſertis*, in multis admodum exemplaribus deficiunt, & videntur plura fuiſſe diſtributa, abſque ut editores ipſi eadem adjecerint.

(*o*) Perperam in omnibus exemplaribus tomo nono adſcriptus legitur annus 1689

FIGU-

Digitized by Google

FIGURARUM EXPLICATIO.

TABULÆ I.

Fig. I.

Anchyloſis cranii & atlantis vera.

a. a. Lamellæ palatinæ oſſium maxillarium ſuperiorum.

b. b. Baſes oſſium palati, quæ cum dictis lamellis palatum oſſeum perficiunt.

c. c. Margo alveolaris oſſium maxillarium ſuperiorum, a naturali forma maxime recedentes, quia plurimi perierunt alveoli.

d. d. Aperturæ poſteriores narium.

e. Vomer.

f. f. Lamellæ exteriores proceſſuum pterygoïdeorum oſſis multiformis.

g. g. Oſſa jugalia.

h. h. Proceſſus zygomatici oſſium temporum.

i. i. Proceſſus eorundem oſſium mammillares.

k. k. Proceſſus eorundem oſſium ſtyliformes.

l. l. Sinus pro articulo maxillæ inferioris.

m. m.

Digitized by Google

m. m. m. m. Os occipitis.

n. n. Atlas.

o. o. Arcus Atlantis anterior.

p. Sinus, ad quem accedit dens Epiſtrophei.

q. q. Arcus Atlantis poſterior.

r. r. Proceſſus transverſi Atlantis.

s. s. Superficies articulares, cum quibus committitur dens Epiſtrophei.

t. t. Plenaria concretio articulationis dextræ.

u. u. Concretio articulationis ſiniſtræ.

Vide Caput I.

Fig. 2.

Anchyloſis cranii & atlantis alia, eaque notabilior.

a. Os occipitis, ubi cum baſi oſſis multiformis cohæret.

b. b. Oſſis occipitis partes pone foramen magnum.

c. c. Oſſa temporum.

d. d. Sinus pro articulo maxillæ inferioris.

e. e. Proceſſus mammillares oſſium temporum.

f. f. Proceſſus ſtyliformes eorundem oſſium.

Digitized by Google

g. g. Lamellæ exteriores proceſſuum pterygoïdeorum oſſis multiformis.

h. h. Lamellæ eorundem proceſſuum interiores.

i. Vomer.

k. k. Atlas.

l. Arcus Atlantis anterior.

m. Sinus, cum quo conjungitur dens Epiſtrophei.

n. n. Arcus Atlantis poſterior.

o. Lamella oſſea, ab arcu poſteriore Atlantis in os occipitis tendens.

p. p. Superficies, cum quibus committitur corpus Epiſtrophei.

q. q. Proceſſuum transverſorum Atlantis partes poſteriores.

r. r. Excavationes in oſſibus temporum, in quibus proceſſus transverſi Atlantis quaſi recondun-tur.

s. Condylus oſſis occipitis ſiniſter.

Reliqua ex figura prima ſatis cognoscuntur, in hujus itaque atque ſubſequentium figurarum explicatione eadem repetere, non neceſſe viſum fuit.

Vide Caput I.

Digitized by Google

Tabulæ II.

Fig. 1.

Cranii & atlantis concretio per proceſſus, ex oſſe occipitis in proceſſus transverſos Atlantis deſcendentes.

a. a. Proceſſus zygomatici oſſium temporum.

b. b. Sinus, ad radices horum proceſſuum pro articulatione maxillæ inferioris.

c. c. Proceſſus mammillares oſſium temporum.

d. d. Proceſſus eorundem oſſium ſtyliformes.

e. e. Margo poſterior foraminis magni.

f. Arcus anterior Atlantis.

g. Sinus, in parte interiore arcus anterioris Atlantis, cum quo dens Epiſtrophei cohæret.

h. Arcus poſterior Atlantis.

i. i. Superficies Atlantis, cum quibus corpus Epiſtrophei connectitur.

k. k. Proceſſus transverſi Atlantis medio foramine pertuſi.

l. Proceſſus, ex oſſe occipitis deſcendens in radicem poſteriorem proceſſus lateralis dextri Atlantis,

Digitized by Google

lantis, & cum eo ſic cohærens, ut non niſi linea quædam extrinſecus appareat.

m. Similis proceſſus in ſiniſtro latere obvius, & cum proceſſus transverſi Atlantis radice poſteriore, ut & cum apice confluens. Ad radicem hujus inciſura quædam conſpicitur, quæ in oppoſito latere non datur.

n. n. Foramina, per quæ arteriæ vertebrales ſeſe inflectere debuerunt, ut foramen magnum oſſis occipitis attingerent.

o. Parva exoſtoſis, ex margine foraminis magni prodiens.

Vide Caput I.

Fig. 2.

Singularis confluxus oſſis occipitis & atlantis.

a. a. Oſſa temporum.

b. b. Proceſſus zygomatici horum oſſium.

c. c. Proceſſus eorundem mammillares.

d. d. Partes petroſæ oſſium temporum.

e. e. Foramina pro arteriis carotidibus.

f. Pars oſſis occipitis, quæ cum baſi oſſis multiformis connectitur.

g. Mar-

g. Margo anterior foraminis magni oſsis occipitis.

h. h. Margo poſterior ejusdem foraminis.

i. Arcus prior Atlantis, in latere dextro ſic cohærens cum oſſe occipitis, ut diſtinctionis nota nulla appareat, in ſiniſtro cohærens quidem, ſed ſic, ut fovea ſatis profunda impreſſa videatur, quam in figura exprimere non licuit.

k. Sinus, cui accumbit dens Epiſtrophei.

l. Arcus poſterioris Atlantis pars dextra, quæ in marginem foraminis magni oſsis occipitis evaneſcit.

m. Arcus poſterioris Atlantis pars ſiniſtra, quæ admodum tenuis eſt, & cum dicto margine non cohæret.

n. n. n. Superficies pro nexu cum Epiſtropheo, ſinuatæ, & longe alio modo factæ, quam in ſtatu naturali. Conferantur Tab. I. Fig. 1. s. s. Fig. 2. p. p. Tab. II. Fig. 1. i. i.

o. Proceſſus transverſus Atlantis dexter, cum oſſe occipitis plane coalitus.

p. Proceſſus transverſi Atlantis ſiniſtri radix poſterior, quæ ſic reconditur in fovea, in oſſe occipitis invenienda, ut cum ea tamen non cohæreat.

Digitized by Google

q. Ejusdem proceſſus radix anterior abrupta. Vide Caput II.

TABULÆ III.

Plenaria concretio cranii, atlantis & epiſtrophei, harumque vertebrarum dislocatio.

Fig. I.

Cranium ſiſtit ab inferiore.

a. a. Ora dextra poſterior foraminis magni oſſis occipitis.

b. Arcus poſterioris Atlantis latus dextrum, ab ora foraminis magni liberum.

c. Tuberculum, quod Atlanti loco proceſſus ſpinoſi eſt, cohærens cum oſſe occipitis.

d. Linea, os occipitis diſtinguens.

e. Pars oſſea, cum arcu poſteriore Atlantis ſemicanalem formans pro arteria vertebrali dextra, quæ ex proceſſu transverſo Atlantis egreſſa retrorſum ſeſe inflectit, ut foramen magnum oſſis occipitis attingat, & ingrediatur.

f. Pars

Digitized by Google

f. Pars lateralis ſiniſtra arcus poſterioris Atlantis, cum ora foraminis magni ſic concreta, ut tamen via pro arteria vertebrali libera maneat.

g. Apex proceſſus transverſi dextri Atlantis.

h. Radix ipſius prior.

i. Radix poſterior. Inter has radices foramen conſpicitur medium.

k. Superficies Atlantis, quæ cum parte laterali dextra corporis Epiſtrophei articulo mobili cohærere ſolet, ſed jam ab illa parte libera eſt, quoniam Epiſtropheus ſedem naturalem reliquit.

l. l. Superficies inferior corporis Epiſtrophei, eroſa quaſi, in latere ſiniſtro excavata, in dextro in duas exoſtoſes prominens.

m. Proceſſus ſpinoſus Epiſtrophei, dimidium pollicem a linea media oſſis occipitis diſtans, & tantopere verſus latus ſiniſtrum dislocatum, ut os occipitis ferme attingat.

n. n. Proceſſus transverſi Epiſtrophei.

o. o. Foramina horum proceſſuum, aliam directionem habentia.

p. p. Proceſſus articulares, cum quibus obliqui ſuperiores tertiæ vertebræ cohæſerunt.

q. La-

Digitized by Google

q. Latus dextrum Epiſtrophei, ex proceſſu transverſo in ſpinoſum excurrens.

r. Latus ſimile ſiniſtrum.

Fig. 2.

Idem cranium cum atlante & epiſtropheo ab anteriore viſum.

a. Osſis occipitis pars, quæ cum baſi osſis multiformis cohæret.

b. Palatum oſſeum.

c. c. Margo palati osſei poſterior, pone quem via eſt ad nares.

d. Margo condyli dextri osſis occipitis, a quo Atlas recesſit.

e. Pars prior arcus anterioris Atlantis, intrinſecus ſemper ſinuata pro dente Epiſtrophei, ab oſſe occipitis libera.

f. Crasſities inſignis arcus anterioris Atlantis in dextro latere.

g. Latus ſiniſtrum arcus anterioris Atlantis, ubi os occipitis reſpicit, pro parte deficiens, pro parte valde compreſſum, ubi reſpicit Epiſtropheum, cum ipſius dente concretum.

h. Su-

Digitized by Google

h. Superficies in parte inferiore lateris dextri Atlantis, inſerviens articulationi cum Epiſtropheo, ſed ab ejusdem ſuperficie, cæterum reſpondente, remota.

i. Superficies ſimilis in ſiniſtro latere, non plane conveniens cum illa Epiſtrophei.

k. Proceſſus transverſus dexter, medio foramine, ut ſolet, pertuſus.

l. Proceſſus idem alterius lateris.

m. Principium partis lateralis dextræ arcus poſterioris Atlantis.

n. Foramen ſatis magnum, a latere dextro dentis Epiſtrophei.

o. Dens Epiſtrophei, cum laterali ſiniſtra parte arcus prioris Atlantis concreta.

p. Corpus Epiſtrophei.

q. Corporis Epiſtrophei latus dextrum, quod committitur cum ſuperficie articulari dextra Atlantis.

r. Corporis Epiſtrophei latus ſiniſtrum, quod committitur cum ſuperficie articulari ſiniſtra Atlantis.

s. Exoſtoſis, ex parte laterali dextra corporis Epiſtrophei producta, præcipue tamen enata ex-

Digitized by Google

inde, quod corpus in latere ſiniſtro r. multum de ſua craſſitie amiſit, & quaſi eroſa eſt.

t. Proceſſus transverſus Epiſtrophei in dextro latere.

u. Idem proceſſus in ſiniſtro latere.

v. Superficies articularis, committenda cum obliquo adſcendente vertebræ tertiæ.

w. Eadem ſuperficies in oppoſito latere.

x. Foramen proceſſus transverſi dextri.

y. Proceſſus ſpinoſus Epiſtrophei.

z. z. Duo apices, in quos deſinunt lamellæ ſatis latæ, quæ proceſſum hunc ſpinoſum componunt.

Vide Caput III.

TABULÆ IV.

Cranium inſignis magnitudinis hominis, ſtaturæ puſillæ, ingenii tenuis & hebetis, a latere dextro exhibitum.

a. b. c. d. Os verticis.

e. Frontis os.

f. f. Os occipitis.

g. Con-

g. Condylus oſſis occipitis pro articulatione cum Atlante.

h. Pars ſquammoſa oſſis temporis.

i. Proceſſus Zygomatici, pro parte abrupti, portio.

k. Meatus auditorius, magis, quam ſolet, compreſſus.

l. Sinus pro condylo maxillæ inferioris.

m. Proceſſus mammillaris.

n. Proceſſus lateralis oſſis multiformis.

o. Lamella exterior proceſſus aliformis oſſis multiformis.

p. Os jugale.

q. q. Maxilla ſuperior.

r. Proceſſus naſalis oſſis maxillaris ſuperioris.

Vide Caput IV.

TABULÆ V.

Os frontis, enormis magnitudinis, naturali forma exhibitum.

a. a. a. Ambitus hujus oſſis ſemicircularis, qui, ſuturæ coronalis ope, cohæſit cum oſſibus verticis.

Digitized by Google

b. b. Loca, ad quæ accedebant proceſſus laterales oſſis multiformis.

c. c. c. c. Supercilia.

d. d. Foramina, per quæ tranſierunt nervi frontales, rami primi rami nervorum quinti paris.

e. e. Oſsicula naſi, pro parte ſuperſtitia.

f. Septum oſsis cribriformis.

g. g. Prominentes ſinus frontales.

Vide Caput IV.

TABULÆ VI.

Pars inferior ejusdem cranii, cujus os frontis Tabula V. depingitur.

a. b. c. d. e. f. Os occipitis.

a. Apex oſsis occipitis, qui ſe inter duo oſſa verticis interſerit.

a. b. a. f. Latera hujus oſsis, quæ per ſuturam lambdiformen cum oſsibus verticis conjunguntur.

b. c. f. e. Partes, quæ copulantur cum partibus mammillaribus & petroſis oſsium temporum.

d. Locus, ubi os occipitis confluxit cum baſi oſsis multiformis.

g. g. Diameter longior foraminis magni oſsis occipitis.

Digitized by Google

h. h. Diameter brevior foraminis magni.

i. Criſta, cui proceſſus falciformis cerebri adhæret.

k. Criſta, cui proceſſus falciformis cerebelli adnectitur.

l. Sinus lateralis dextri duræ matris veſtigium.

m. m. Scrobes, quibus accumbunt lobi poſteriores cerebri.

n. n. Scrobes, in quibus lobi cerebelli collocari ſolent.

o. o. Portiones oſſium verticis.

p. p. Partes mammillares oſſium temporum.

q. q. q. q. Partes oſſium temporum petroſæ.

r. r. Partes oſſium temporum ſquammoſæ.

s. s. Foramina, per quæ ſe evacuabant ſinus laterales duræ matris, & transibant nervi octavi paris cum ſpinali recurrente.

t. t. Foramina pro nervis auditoriis.

u. Baſis oſſis multiformis ſellam turcicam formans.

v. v. v. Sinuum ſphænoïdalium partes, medio ſepto diſtinctæ.

w. w. Proceſſus laterales oſſis multiformis.

x. x. Partes proceſſuum lateralium oſſis multiformis, quæ cum oſſe frontis conjunguntur.

Digitized by Google

y. y. Partes proceſſuum lateralium oſſis multiformis, quæ foraminum oculorum partem lateralem externam formant.

z. z. Foramina pro ſecundis ramis quinti nervorum paris.

α. α. Foramina pro tertiis ramis quinti nervorum paris.

β. β. Foramina pro vaſis, ad duram matrem pertinentibus, quorum veſtigia in parte ſquammoſa oſſium temporum, & proceſſu laterali oſſis multiformis cernuntur.

γ. γ. Aperturæ canalium, per quos arteriæ carotides internæ penetrant.

δ. δ. Diſtantia inter ſummitates oſſium ſquammoſorum; quæ conſtituit diametrum minorem capitis, & pollices octo cum dimidio æquat.

Vide Caput IV.

TABULÆ VII.

Fig. 1.

Os temporis dextri lateris, cui vicinorum oſſium partes adhærent, ejusdem capitis, cujus alia oſſa Tab. V. & VI. delineata ſunt.

a. Pars

Digitized by Google

a. Pars ſquammoſa oſsis temporis.

b. Pars mammillaris.

c. Pars petroſa.

d. Meatus auditorius.

e. Proceſſus zygomatici pars.

f. Sinus pro condylo maxillæ inferioris.

g. Proceſſus mammillaris.

h. Pars oſsis verticis.

i. Proceſſus lateralis oſsis multiformis.

k. Pars lamellæ exterioris proceſſus pterygoïdei oſſis multiformis.

l. Oſſiculum, totum ſeparatum, & ſutura undique cinctum, in nexu partis ſquammoſæ oſſis temporis, & proceſſus lateralis oſſis multiformis.

m. n. Latitudo oſſis temporis ab oſſe occipitis usque ad os cuneiforme.

o. p. Altitudo ab apice proceſſus mammillaris recta ſurſum.

q. r. Altitudo a radice proceſſus zygomatici ſurſum.

s. t. Oſſis cuneiformis latitudo maxima in cavo temporis.

Vide Caput IV.

Fig. 2.

Digitized by Google

Fig. 2.

Pars ſuperior cranii, cujus oſſa verticis depreſſiones admodum profundas exhibent.

a. a. Oſſa verticis.

b. b. Os frontis, media ſutura ſagittali procurrente, in duas partes diviſum.

c. Apex oſſis occipitis.

d. d. d. d. Margo oſſeus, rotundulus, depreſſionem a reliquo oſſe diſtinguens.

e. Depreſſa ejusdem oſſis pars, æque glabram ſuperficiem monſtrans, ac oſſa reliqua.

f. f. f. f. Margo, ſimilem depreſſionem, aſt non adeo notabilem in oppoſito latere ambiens.

g. Depresſio ipſa.

Vide Caput V.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

I.

De anchyloſi cranii & atlantis. Pag. 1

II.

De ſingulari oſſis occipitis & atlantis confluxu. 14

III.

De plenaria eaque rariſſima cranii, atlantis, & epiſtrophei concretione, & harum vertebrarum dislocatione. 18

IV.

De prodigioſa cranii magnitudine. 25

V.

De ſinu ſatis profundo, in utroque oſſe verticis obſervato. 74

VI.

De muſculis nonnullis, qui rarius occurrunt. 78
De Animalo in facie. 79
De Gracillimo oculi. 80
De Stylopharyngæo altero. 80
De Cephalopharyngæo. 80
De Thoracico. 82
De Subclavio altero. 88

T *De*

Digitized by Google

De Curvatore coccygis. 89
De Muſculo veſicæ. 90
De Interſpinalibus cervicis ſupernumerariis. 91
De Recto capitis poſtico majore altero. 92
De ſingulari muſculo in collo. 92
De Recto laterali capitis altero. 93
De Supinatore brevi altero. 93
De Extenſore proprio digiti medii manus. 94
De Subcrurali. 96
De Pſoa tertio. 99

VII.

De tumore polypoſo, uteri cavum penitus opplente, & præternaturali viſcerum abdominalium ex hydrope pectoris ſitu. De ductu thoracico cum vena ſine pari communicante, hujusque venæ decurſu ſingulari. 100

VIII.

De Charteriana editione operum Hippocratis & Galeni. 113

Figurarum explicatio. 128

INDEX RERUM.

Aetas admodum proveƈta. pag. 58. in not.
Anchyloſis cranii & atlantis. Non videtur adeo rara, quam a multis ſtatuitur. 1. Pauca tamen exempla ab aliis deſcripta ſunt. 12. 13. Novæ obſervationes hujus concretionis. In ſolo ſiniſtro latere. 2. In dextro. 4. In utroque. 5. 7. Per proceſſus ex oſſe occipitis in primam vertebram deſcendentes. 10
Anomalus muſculus in facie. 79
Atlantis & cranii anchyloſis. 1. ſeq.
—— & oſſis occipitis ſingularis confluxus. 14
—— & epiſtrophei cum cranio concretio, & dictarum vertebrarum dislocatio. 18. ſeq.
Azygos vena inſolito modo decurrens, & cum ductu thoracico communicans. 103. 112
Capita hominum maxime inter ſe differunt. 25
Cephalopharyngæi muſculi deſcriptio. 80
Charteriana editio operum Hippocratis & Galeni. Animadverſiones circa hanc editionem. 113. ſeq.
Charterii mors. 114
Coli inteſtini ſitus inſolitus. 106. not. l.
Cor cruſta purulenta obductum. 101
Cranii & atlantis anchyloſis. 1. ſeq.
—— cum duabus primis colli vertebris plenaria concretio. 18. ſeq.
—— magnitudinis naturalis dimenſiones. 28
—— ———— prodigioſæ exempla. 25. ſeq. Variæ circa talia crania opiniones 40. ſeq. Maxime probabilis ſententia. 64
—— mutationes variæ. 7. 14. ex cauſa morboſa 25. in hydrocephalo. 66. ſeq. 73.
Curvator coccygis muſculus. 89

Depreſſio in utroque oſſe verticis obſervata. 76. in parte poſteriore capitis. 77. Quare ad tales attendere oporteat. 74
Diaphragmatis ſitus ob hydropem pectoris multum mutatus. 114
Ductus thoracicus cum vena ſine pari communicans. 103. 112
Epiſtrophei, atlantis, & cranii anchyloſis, illarumque vertebrarum dislocatio. 18. ſeq.
Extenſor brevis digitorum manus. 94
—— proprius digiti medii manus, aliquoties obſervatus. 94. 95
Exoſtoſis parva, in Atlante viſa. 11. In Epiſtropheo. 22
Fallopianæ tubæ occluſæ. 102. 107
Foramen magnum oſſis occipitis diverſimode mutatum. 3. 4. 5. 21. 23
Frontales ſinus admodum ampli, & in varias cellulas diviſi. 9
Frontis os prodigioſæ magnitudinis. 45. & in not. Conjecturæ circa longitudinem hominis, cujus fuit. 47. & ſeq. in not.
Galeni operum editio Charteriana. De hac animadverſiones. 113
Gigantes extitiſſe ex prodigioſa magnitudine oſſis frontis, quod examinavit, concludit Molyneux. 48. & ſeq. in not.
Hepatis ſitus præternaturalis. 106. not. l.
Hippocratis operum editio Charteriana. 113. ſeq.
Hydrocephalus non ſemper ſuturarum dehiscentiam comitem habet. 65. Cranii mutationes hoc in morbo variæ. 66. ſeq.
—— quadraginta quinque annorum. 69. ſeq.
Hydropis pectoris obſervatio, indeque natus viscerum abdominalium pravus ſitus. 101. Phænomena, quæ inde profluunt. 103
Interſpinales cervicis muſculi ſupernumerarii. 91
Inteſtinorum ſitus perverſus. 101. 106. not. l.
Ligamenta uteri longitudine varia. 101
Longitudo hominum prodigioſa. 60. in not.
Multiformis oſſis conformatio inſolita. 12
Muſculorum, qui rarius occurrunt, deſcriptio. 78. Anomali in facie. 79. Cephalopharyngæi. 80. Curvatoris coccygis. 89. Extenſoris proprii digiti medii manus. 94. Interſpinalium cervicis ſuper-

ſupernumerariorum. 91. Oculi gracillimi. 81. Pſoæ tertii 99. Recti capitis lateralis alterius. 93. Recti capitis poſtici majoris alterius. 92. Singularis in collo. 92. Stylopharyngæi alterius. 88. Subcruralis. 96. Supinatoris brevis alterius. 93. Veſicæ. 90
Occipitis oſſis cum atlante anchyloſis. 1. ſeq. cum atlante & epiſtropheo. 18. ſeq.
Oculi muſculus gracillimus. 80
Oſſa verticis multum intropreſſa. 74
Oſſis multiformis conformatio inſolita. 12
Oſſium capitis dimenſiones in ſtatu ſano. 28. in duobus craniis prodigioſæ magnitudinis. 30. 34
—— temporum ſinus, pro articulo maxillæ inferioris facti, degenerati. 6
Pericardium aqua maxime diſtentum. 101
Polypus, uteri cavum penitus opplens. 102. Minimum talis tumoris principium. 109. Differentiæ in polypis uteri animadverſæ. 111. Symptomata, quæ ab iis producuntur. 111. Optima curandi eosdem methodus. 112
Proceſſus oſſei, ex occipitis oſſe in vertebram deſcendentes primam, hancque firmiter cranio adnectentes. 10
Pſeudomembranæ, uterum cum vicinis partibus nectentes. 101. 107
Pſoas tertius. 99
Rectus abdominis muſculus quandoque per pectus ad ſummam ſterni partem ſeſe extendit. 83. & not. k.
—— capitis lateralis alter. 93
—— capitis poſticus major alter. 92
Sinus frontales admodum ampli, & in varias cellulas diviſi. 9
Stylopharyngæus alter. 80
Subclavius alter. 88
Subcruralis muſculus. 96. ſeq.
Supinator brevis alter. 93
Sutura ſagittalis os frontis dividens. 4. 14. 76

Suturæ oſſium cranii in Hydrocephalo non ſemper a ſe invicem recedunt. 65. Immo ſubinde pereunt. 65
Suturarum cranii abſentia. 3. 65
Thoracici ductus cum vena ſine pari communicatio. 103. 112
Thoracicus muſculus novus obſervatus. 82. Hujus deſcriptio. 83. Alia hujus muſculi facies in alio corpore. 85. Similes obſervationes. 88
Thoracum rigidorum noxæ. 105. Mutatur hac ex cauſa viſcerum abdominalium ſitus. 105
Tubæ Fallopianæ occluſæ. 102. 107
Tumores utero accreti. 108. ib. not. q.
Uteri abſentia nupero exemplo confirmata. 106. not. *.
—— obliquus ſitus. 101. 107. not. m.
—— polypus. 102. Vid. Polypus.
Vaſis chyliferi varietas. 103. 112
Vena ſine pari cum ductu thoracico communicans. 103. 112
—— —— inſolito modo decurrens. 103. 112
Ventriculi ſitus inſolitus. 105. 106. not. l.
Vertebra prima colli cum cranio concreta, & ſuo loco parum dimota. 2. 3. ſeq.
—— —— & ſecunda cum cranio concretæ & ſimul dislocatæ. 18. ſeq.
Verticis oſſa multum intropreſſa. 74. ſeq.
Veſicæ muſculus. 90
Viſcerum abdominalium ex hydrope pectoris depravatus ſitus. 101. 106. not. l.

Digitized by Google

APUD P. V. D. EYK ET D. VYGH
Proſtant.

EDUARDI SANDIFORT Obſervationes Anatomico-Pathologicæ Lib. I. II. III. IV. Lugd. Bat. 1777. 1778. 1779. 1781. 4°. cum fig.

——— ——— ——— —— Tabulæ inteſtini duodeni. Lugd. Bat. 1780. 4°.

——— ——— ——— —— Icones herniæ inguinalis congenitæ. Ibid. 1781. 4°.

——— ——— ——— —— Deſcriptio muſculorum hominis. Ibid. 1781. 4°.

Apud EOSDEM atque S. ET J. LUCHTMANS.

EDUARDI SANDIFORT Theſaurus Diſſertationum, Programmatum. &c. Vol. I. II. III. 4°. cum fig.

A. VESALII Tabulæ oſſium humanorum, denuo edidit, earumque explicationem adauxit ED. SANDIFORT. Ibid. 1782.

Digitized by Google

B I B L I O P E G O.


Tabulæ omnes pone indicem rerum collocandæ, ſic ut Tab. I. huic paginæ opponatur.

AAN DEN BOEKBINDER.

Alle de plaaten moeten agter den bladwyzer der zaaken geplaatst worden, zoo dat Tabula I. tegen over deeze zyde kome.

Digitized by Google

Fig. 2.



A. Duſſos, ... R. Mayr, ... ſculps.

Digitized by Google

EXERCITATIONES ACADEMICÆ.

LIBER II.

Digitized by Google

Digitized by Google

ED. SANDIFORT,

MEDICINÆ, ANATOMES, ET CHIRURGIÆ, IN ACADEMIA BATAVA, QUÆ LEIDÆ EST, PROFESSORIS,

EXERCITATIONES ACADEMICÆ.

LIBER SECUNDUS.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD S. ET J. LUCHTMANS, P. v. D. EYK ET D. VYGH. 1785.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXERCITATIONES ACADEMICÆ.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De mutationibus, quas oſſa cranii in hydrocephalo ſubire ſolent.

Talem eſſe in fœtu oſſium cranii ſtructuram, talem nexum, ut pleraque eam, quam in adulto habent, nondum acquiſiverint formam, nonnulla ex pluribus, ſenſim confluentibus, partibus componantur, omnia per membranas cohæreant, res eſt notiſſima. Hæc autem eorundem compoſitio, ut egregie favet incremento totius conceptaculi cerebri, & in partu ſummam adfert utilitatem, ſic etiam diſtenſionem cranii admittit, facilitat, ſi quid intus latet, quod oſſa omnia a ſe invicem removere poteſt. Has inter diſtenden-

Digitized by Google

tes cauſas frequentiſſima eſt aquæ collectio, hydrocephalum quam dicunt, & hoc in morbo, ſæpiſſime connato, aliquoties in adultioribus etiam viſo, compages omnium calvariæ oſſium miro modo mutatur, illa a ſe invicem non tantum ſeparantur, verum ipſa multo majora redduntur, aliam acquirunt formam, & diverſimode degenerant.

Prodigioſam cranii magnitudinem præcedenti libro deſcribens (*a*), paucis oſtendi, illam a collecta in conceptaculo cerebri aqua fuiſſe productam (*b*); lubuit autem plenius inquirere in omnes, quas ſubire hoc in morbo cranium ſolet, mutationes, & primo loco connatum cum ſpina bifida hocce vitium deſcribere, tum de cranio adul-

(*a*) Exercitat. Academ. lib. 1. cap. 4. pag. 65.

(*b*) Ex quo tempore hocce cranium deſcripſi loc. cit. pag. 30. ſimile mihi oſtendit Doct. Anatom. & Chir. Prælector Harlemenſis Roquette, cujus dimenſiones ſequentes ſunt.

Longitudo oſſium verticis a ſutura coronali ad apicem ſuturæ lambdiformis eſt ſeptem pollicum rhenolandicorum. Altitudo ejusdem a nexu proceſſus lateralis oſſis multiformis ad ſuturam ſagittalem ſeptem pollicum. Oſſis frontis latitudo convexa maxima a tempore uno ad alterum novem pollicum. Ejusdem altitudo convexa ab oſſibus naſi ad ſagittalem ſuturam ſeptem pollicum. Oſſis occipitis convexa longitudo a margine poſteriore magni foraminis ad locum, ubi ſuturam ſagittalem contingit, ferme ſex pollicum. Ejusdem latitudo maxima quinque pollicum & trium

adultæ fœminæ, eadem de cauſa mutatæ, agere, & denique nonnulla de aliis craniis ſuperaddere.

In neonata puella, hydrocephalo & ſpina bifi-

trium octavarum partium. Latitudo oſſis temporis ab oſſe occipitis ad os cuneiforme in latere calvariæ trium pollicum & ſex partium octavarum. Ejusdem altitudo ab apice proceſſus mammillaris recta ſurſum trium pollicum. Altitudo a radice proceſſus zygomatici duorum pollicum & unius quartæ partis. Oſſis cuneiformis latitudo maxima in cavo temporis unius pollicis & unius octavæ partis. Altitudo ſeſqui pollicis. Diameter longior foraminis magni in oſſe occipitis unius pollicis, & ferme trium octavarum partium. Diameter ejusdem foraminis brevior, in radices poſteriores proceſſuum coronoïdeorum incidens, eſt unius pollicis & unius octavæ partis. Diſtantia inter proceſſus mammillares trium pollicum & ſex partium octavarum. Longitudo partis oſſis occipitis inter foramen magnum & os cuneiforme unius pollicis & unius octavæ partis. Latitudo ipſius, ubi ſe baſi oſſis multiformis adjungit, unius pollicis. Diſtantia inter proceſſuum pterygoïdeorum lamellas interiores unius pollicis & unius partis octavæ. Inter ſinus oſſium ſquammoſorum, qui admittunt capita maxillæ, trium pollicum. Diameter longiſſima transverſalis illorum ſinuum eſt ſeptem octavarum partium pollicis. Diſtantia inter proceſſus mammillares & marginem lamellæ externæ proceſſus pterygoïdei, unius pollicis & ſex octavarum partium. Oſſis petroſi longitudo unius pollicis & ſex octavarum partium. Diſtantia inter orbitarum angulos externos, ubi cum oſſe jugali conjunguntur, quatuor pollicum. Latitudo orbitæ a minori ad majorem angulum unius pollicis & quinque partium octavarum.

Conſtat ex his dimenſionibus caput hoc majus eſſe, quam citato loco deſcriptum, præcipue vero oſſium verticis atque frontis magnitudinem fuiſſe adauctam. Increvit autem cranium inæquabiliter, & magis in ſiniſtra ac poſteriore parte prominet, quam in

Digitized by Google

ſida laborante, inſignem magnitudinem cranium acquiſiverat. Contentæ aquæ fluctuatio manifeſta erat, ab invicem enim multum remota oſſa digitis cedebant facile, & ſolis integumentis videban-

in ulla alia. Adſunt ſuturæ omnes, & in iis oſſicula varia, inſolitis etiam in locis. In ſutura lambdiformi ſex dantur majora, ſuturis undique circumſcripta, præter plura minora. In coronali a latere dextro adeſt Wormianum, ſeſquipollicem magnitudine ſuperans, apice ſuo ferme a ſagittali ſutura incipiens, indeque ſenſim lateſcens, ſic ut demum ſex octavarum partium pollicis latitudinem habeat, & triangulum repraeſentet. In altera parte ſuturæ coronalis non longe a tempore, ſimile oſſiculum ſed admodum parvum conſpicitur. In latere dextro in illa parte oſſis verticis, quæ cum mammillari oſſis temporis cohæret, aut potius in ipſa hac parte oſſiculum ſeparatum eſt, ferme quadrangulare, undique diſtincta admodum ſutura cinctum; ac ſimile in oppoſito latere conſpicitur. Prominet inſigniter frontis os, ubi intus ſinus deliteſcunt, ut & in illis locis, quibus lobi priores cerebri accumbunt.

Adſervatur Bonnæ pars ſuperior cranii, quod magnitudinem certe prodigioſam habuit; ut colligi poteſt ex Tabulæ noſtræ VIII. Fig. 1. hujus enim portionis longitudo eſt decem pollicum rhenolandicorum cum dimidio, latitudo octo & unius quartæ partis, craſſities in fronte dimidii pollicis, in lateribus trium octavarum partium. Suturæ adſunt, ſagittalis per medium os frontis procurrit; Tab. VIII. Fig. 1. g. In vertice inſignis magnitudinis oſſiculum ſeparatum adeſt, quale Wormianum dici ſolet, Fig. 1. i. k. l. m. n.; hoc ſagittalem ſuturam e. f. g. interrumpit, ſic ut inter principium ipſius in illa ſutura, inter oſſa verticis i., & eandem ſuturam, ubi os frontis dividit l., diſtantia ſit trium pollicum, latitudo a k. ad m. major eſt, & quatuor pollices ſuperat, irregularem autem figuram habet; primo enim ſeſe a dicto

bantur retineri, quominus penitus dehiſcerent. His autem ſeparatis, membrana inter oſſa, eorumque partes, lata quidem & maxime extenſa; ſed firma admodum apparebat, & per eandem trans-

cto principio dextrorſum extendit ad ſuturam coronalem, & hocce latus i. k. longitudinem habet duorum pollicum cum dimidio, inde ad anteriora progreditur, latus k. l. ſimilis longitudinis formans, partemque de oſſe frontis tollens, in ſuturam ſagittalem rurſus pertingit, tum in ſiniſtrum latus progreditur l. m, & ad diſtantiam duorum pollicum deſinit ad aliud ſeparatum oſſiculum o., pollicem latum, ejusdemque ferme longitudinis, inveniendum in dicta coronali; majus vero ab hoc minori ad medium verticem adſcendit, latusque m. n. ſeſquipollicis formans, ad angulum obtuſum, retrorſum tendit, ultimumque latus n. i. duorum pollicum cum dimidio poſtquam formavit, in ſagittalem ſuturam redit. Extrinſecus ſutura ambit dicta oſſicula, intrinſecus non niſi linea. In parte poſteriore ſuturæ ſagittalis aliud adeſt ſeparatum oſſiculum, Fig. 1. p. Fig. 2. r. ad ſuturam lambdiformem deſinens, longitudo duos pollices ſuperat, latitudo ſeſquipollicem; & hoc oſſiculum ſuturâ cingitur. Qui Anatomen Bonnæ maximo cum applauſu docet, Vir Clariſſimus Rougemont ea non tantum erga me fuit benevolentia, ut hos in uſus dictam calvariæ partem deſcripſerit, verum ſimul exactiſſimas quatuor figuras transmiſerit, ex qua ea notare potui, quæ meo ſcopo inſervire putavi, & ad quarum primam parata illa linearis eſt, ex qua & magnitudo totius cranii dijudicari, ſuturarum decurſus, & oſſiculorum ſeparatorum extenſio, cognoſci poteſt, quamque huic libro adnectendam eſſe cenſui, forte, data occaſione, & alias communicaturus. Id addidit Vir Clariſſimus, nihil ſe memoratu dignum percipere potuiſſe de eo, cujus caput fuit, cum Bononiæ emptum Bonnam translatum ſit.

tranſparens conſpiciebatur aqua, quæ, in cavitatibus cerebri, ut videtur, collecta, diſtenderat, conſumſerat, omne cerebrum.

Quæ ſupra oculorum cava ſunt partes, quæ inde verſus latera incedunt, præcipuam mutationem ſubierant, non tamen ſic, quin facies in diverſis, quæ ipſam componunt, partibus, vario etiam modo eſſet mutata.

A radice naſi per frontem, verticem, occiput, ad foramen oſſis occipitis magnum, diſtantia erat undecim, & quod excurrit, pollicum. Ab apice partis ſquammoſæ oſſis temporis ad eandem partem dicti oſſis oppoſiti lateris diſtantia erat octo pollicum cum dimidio. Circumferentia totius capitis, ſumta parum ſupra oculorum orbitas, erat quatuordecim pollicum cum dimidio.

Partes membranaceæ, quæ inter oſſa omnia conſpiciebantur, erant multo latiores, quam eſſe ſolent, oſſa majorem acquiſiverant extenſionem, absque ut tamen tenuiora eſſent. Partes duæ, quibus os frontis ſemper in fœtu conſtat, ad ſeſquipollicem ſupra naſum, penitus cohærebant, inde ad fontanellam parum a ſe invicem receſſerant; dimotæ eædem partes, aſt non multum, erant

erant

Digitized by Google

erant ab illis oris oſſium verticis, quæ in adultis ad formandam ſuturam coronalem concurrunt. Fontanella ergo non admodum magna erat. Plus a ſe diſtabant verticis oſſa, & hæc diſtantia verſus poſteriora multum adaugebatur, adeo ut, prope fontanellam vix quartæ pollicis parti æqualis, inter eadem oſſa, ubi oræ verticales deſinunt, & oſſa hæc ad nexum cum oſſe occipitis perficiendum verſus latera recedunt, pollicem ſuperaret, ſimilisque diſtantia in quoque latere inter illa oſſa & apicem oſſis occipitis daretur. Ampliſſima ergo pars membranacea erat, inter oſſa verticis & occipitis, & per eandem partes oſſeæ radiorum adinſtar ſeſe diſtribuebant. Remotæ pariter inſigniter partes mammillares & ſqammoſæ a vicinis oſſibus erant, quæ cæterum ferme attingere ſolent, ſic quidem, ut inter mammillares partes & oſſa verticis pollicaris diſtantia daretur, inter ſqammoſas & eadem oſſa invenienda membrana dimidium pollicem ſuperaret. Laterales proceſſus oſſis multiformis, ad æqualem ferme diſtantiam a verticis oſſibus, paulo minus a frontis, remoti erant.

Cum autem dicta oſſa omnia tantopere a ſe remo-

Digitized by Google

ta eſſent, & multo amplior exiſteret calvariæ capacitas, aliter eſſe non potuit, quin partes, quæ ad baſim cranii, quæ ad faciem formandam, concurrunt, inſigniter a ſe invicem recedere debuerint. Inter radices proceſſuum zygomaticorum diſtantia erat pollicum trium cum dimidio; ſinus ergo, ad illas radices poſiti, pro articulo maxillæ inferioris, ſolito plus a ſe invicem erant remoti, & tota hæcce pars baſeos cranii erat latior. Maxillæ inferioris condyli magis ergo, quam ſolent, diſtabant. Sed ob eandem cauſam, receſſum quippe proceſſuum zygomaticorum, verſus latera quaſi tracta erant oſſa jugalia, & cum his nexa maxillaria ſuperiora, adeo ut hæc pars faciëi majorem etiam latitudinem monſtraret, & longitudo quodammodo imminuta eſſet. Quam ſubierant mutationem maxillaria oſſa, ſecutum erat palatum, hac de cauſa multo amplius.

Quæ cerebro ſtricte dicto continendo deſtinata eſt cranii pars, ferme ſola extenſionem paſſa erat, & diſtracti tantopere erant duræ matris proceſſus, falciformis & laterales ſeu transverſales, ut hi vix notandam magnitudinem habuerint, & ſpatium pro cerebello & medulla oblongata relictum eſſet mi-

minimum, foramine oſſis occipitis a proceſſu laterali vix dimidium pollicem diſtante.

Cranii autem magnitudo non tantum præternaturalis erat, & multum a ſano receſſerat ſtatu, verum oſſa ipſa, ſi non omnia, plurima ſaltem, mutationem, magis minusve notabilem ſubierant. In depurato, quod hactenus adſervo, cranio, ſequentes detegere licet deviationes.

Partium, quæ os frontis componunt, a radice naſi ad fontanellam longitudo eſt pollicum trium cum dimidio, latitudo in parte inferiore duos ſuperat: illæ harum lamellæ, quæ partem ſuperiorem orbitarum formant, oculorumque cava a conceptaculo cerebri diſtinguunt, admodum deſcendunt, ſic ut verſus oculorum cava convexæ ſint, & capacitates, quas oculi occupant, multum imminuant; tenuiſſimæ pariter exiſtunt, imo variis in locis foraminibus pertuſæ. Receſſerunt multum ab hiſce lamellis proceſſuum lateralium oſſis multiformis partes, quæ concurrunt ad formanda oculorum cava. Oculorum foramina, quæ dicta de cauſa aliam, quam ſolent, figuram acquiſiverant, alio etiam ſenſu mutata ſunt, cum oſſa jugalia plus ſolito verſus latera dimota ſunt. Aperturæ narium

Digitized by Google

anteriores ampliores ſunt. Verticis oſſa notandam extenſionem habent. Ora anterior frontalis quatuor pollices longa eſt, ſuperior verticalis cum dicta ferme convenit; poſterior ſeu occipitalis tres pollices aequat, inferior cum proceſſu laterali oſſis multiformis, oſſe ſquammoſo, & mammillari connectenda, non multum a praecedenti, quoad longitudinem ſuam, recedit. Oſſa haec, admodum convexa, praecipue & maxime protuberant iis in locis, ubi naturali in ſtatu magis etiam prominere ſolent, quemadmodum frontis oſſa, multum prominula, illas partes, quibus lobi priores cerebri accumbunt, maxime extantes offerebant. Oſſis occipitis, in fœtu ex quatuor oſſiculis compoſiti, pars ſuperior, quae ſeſe inter oſſa verticis interſerit, longitudinem habet trium pollicum cum dimidio, eandemque latitudinem, ubi fiſſuræ laterales adſunt. Reliquæ ejusdem oſſis portiones non adeo multum magnitudine increverunt, & ea oſſa, quæ reliquam baſeos cranii partem conſtituunt, ſolito modo ſeſe habent.

In ſceleto neonati infantis, qui iisdem morbis, hydrocephalo & ſpina bifida, laboraverat, quemque

Digitized by Google

que examinare licuit, circumferentia capitis eſt quindecim pollicum cum dimidio, diſtantia a radice naſi ſupra frontem, verticem, occiput, ad foramen magnum unius pedis, a meatu auditorio unius lateris ad illum oppoſiti undecim pollicum. Mutata præcipue ſunt oſſa frontis, verticis, & pars ſuperior osſis occipitis. Solito majorem latitudinem habent proceſſus naſales osſium maxillarium ſuperiorum, & osſicula naſi. Ampla admodum ſunt foramina oculorum. Diſtantia inter angulos internos cavi oculi ibi, ubi partes, quae frontis os componunt, cum osſiculis naſi & dictis procesſibus cohærent, eſt unius pollicis. Ab hoc nexu ſurſum ad os verticis longitudo cujusque illius portionis eſt quatuor pollicum cum dimidio; quæque portio latitudinem habet trium pollicum & unius quartæ partis. Hiatus inter illas portiones eſt unius pollicis, ſic ut linea, ducta a nexu proceſſus lateralis osſis multiformis dextri lateris cum oſſe frontis ad eundem nexum in oppoſito latere, ſit octo pollicum. Cohærent duæ portiones illæ ad altitudinem ſeſquipollicis a radice naſi invicem, tum vero parum, dein multo magis recedunt, ſic ut ſat cito inter-

media membrana pollicis latitudinem acquirat; ampla ergo fontanella ad frontis anteriora ſeſe extendit. Verticis oſſa in ora verticali quatuor pollices, in ora frontali quatuor, & tres octavas partes, in ora occipitali tres & ſex octavas partes, & ab inferiore duos pollices cum dimidio longa ſunt; in parte vero media, ubi ſemper magis prominere ſolent, inter frontis os & occipitis diſtantia eſt quatuor pollicum cum dimidio. Oſſis occipitis pars maxima a foramine magno ſeſe ad ſeſquipollicis longitudinem extendit, antequam, incurva, ſurſum adſcendat; longitudo a foramine magno ad apicem eſt trium pollicum cum dimidio, latitudo maxima trium pollicum. Inter hanc partem & oſſa verticis, fontanella, aſt non adeo magna, comparet. Reliquæ oſſis occipitis partes, oſſa temporum, multiforme, oſſa, faciem componentia, vix a magnitudine ſolita receſſerunt. Maxime ergo & hoc in caſu diſtenta eſt camera cerebri, & pro cerebello vix locus relictus.

Ex deſcriptis hactenus craniis, collectam intus aquam, jam ante nativitatem, inſignem in oſſibus cranii mutationem producere, conſtitit, verum, in

Digitized by Google

in adulta etiam ætate ſubortum hunc morbum non ſolum mollisſimas, cranio contentas, partes comprimere, vitiare, deſtruere, ſed & oſſa ipſa afficere, eaque ſingulari admodum ratione mutare, alterius cranii deſcriptione & delineatione (*c*) abunde patebit.

Cranium eſt junioris fœminæ, omni ferme ſenſu difforme & morboſum, ſive enim formam, ſive magnitudinem, ſive ſuturas, ſive osſium omnium ſtatum, aut & capacitatem internam adtendimus, omnia a ſano ſtatu recedunt quam maxime.

Circumferentia hujus calvariæ eſt circiter pollicum viginti duorum; longitudo a fronte ad medium osſis occipitis, poſt factam ſectionem horizontalem menſurata, ſeptem pollicum cum dimidio. Diſtantia a meatu auditorio unius lateris ad eundem meatum lateris oppoſiti pollicum duodecim; linea a radice naſi per frontem, verticem, occiput, ad foramen magnum ducta, eſt pollicum quindecim cum dimidio.

Longitudinem ergo inſignem habet, non vero notabilem altitudinem, & ſuperiori in parte quaſi

(*c*) Tab. I & II.

Digitized by Google

ſi compreſſum hocce cranium exiſtit (*d*). Oſſa cuncta ſi ſeparatim examinantur, hæc non quidem multum magnitudine adaucta ſunt, verum, tenuiſſima reddita, transparent, & extrinſecus inæquali ratione prominent. Quando enim dimenſiones horum osſium comparavi cum iis, quæ in ſanisſimo capite adſunt (*e*), vix differentiam inveni ullam notabilem, ſolum os frontis parumper latius & longius fuit. Hujus enim latitudo convexa maxima a tempore uno ad alterum ſeptem pollicum eſt; ejusdem altitudo convexa ab osſibus naſi ad coronalem ſuturam ſex pollicum. Verticis oſſa nulla ſutura ſagittali diſtinguuntur, ibi tantummodo, ubi cum coronali connecti ſolet, levisſimum ipſius apparet veſtigium; unicum ergo os conſtituunt, quod verſus poſteriora inæquali admodum modo protuberat, præcipue in latere ſiniſtro, & in utroque, præſertim vero in modo dicto, tenuiſſimum eſt, ſic ut radii lucis non tantum transpareant facillime, ſed diverſis in locis vix

(*d*) Ut hæc differentia conſtet, comparanda Cl. Albini Tab. osſium I. Fig. 3. cum Tab. I. Fig. 1. hujus libri.

(*e*) Dedi illas Exercitat. Academ. lib. 1. pag. 28.

Digitized by Google

vix tenuisſimæ chartæ crasſitiem habeat. Occipitis osſis figura (*f*) longe alia eſt, quam eſſe ſolet, hoc non adeo in ſiniſtro, quam in dextro, latere multum protuberat, & hinc figura capitis a parte poſteriore, & decurſus ſuturæ lambdiformis ſingularis admodum eſt. Latitudo ipſius maxima eſt quinque pollicum & unius quartæ partis. Squammoſæ osſium temporum partes, intrinſecus multum excavatæ, prominent extrinſecus inſigniter, & duo quaſi tubera formant (*g*).

Mutationes autem, quas totum conceptaculum cerebri ſubiit, ſecto horizontaliter capite, patuerunt optime. Extenuata quam maxime eſſe cuncta oſſa, ipſa hæcce ſectio docuit, qua ſimul patuit, ſervaſſe ea illam proportionem, quæ quoad crasſitiem inter diverſa cranii oſſa obſervari ſolet (*h*). Lamellæ osſis frontis, quæ ſuperiorem foraminum oculorum partem conſtituunt (*i*), non horizontaliter ſeſe extendunt, ſed verſus interiora multum deſcendunt (*k*), & adeo tenues exiſtunt, ut multis in locis vera dentur foramina,

cum

(*f*) Conf. Tab. I. Fig. 2. c. c. d. d.
(*g*) Tab. I. Fig. 1.
(*h*) Tab. II. Fig. 1. a. b.
(*i*) Tab. II. Fig. 1. e. e.
(*k*) Tab. II. Fig. 1. f. f.

Digitized by Google

cum cavis oculorum communicantia (*l*); non autem ubique eandem tenuitatem habent, ſed verſus latera conſpiciuntur depresſiones, & inter eas acutiuſculæ eminentiæ, ſic ut os eroſum quaſi videatur. Situm inter dictas osſis frontis lamellas, os cribriforme (*m*) criſtam (*n*) erigit inſignis longitudinis, quæ ab anteriore lunato ductu in criſtam osſis frontis (*o*) terminatur, ſic tamen, ut foramen cœcum (*p*) intermedium conſpiciatur. Ipſum os ethmoïdes latitudinem notandam habet, præcipue a parte poſteriore, ubi cum baſi osſis multiformis (*q*) cohæret, & hoc in loco pollicem æquat. Tota hæcce pars una cum dicta baſi admodum eſt depreſſa. Sella turcica (*r*) ſinum profundum repræſentat, & communicat cum ſinu ſphænoïdali per foramen rotundum, ſatis amplum (*s*). Clinoïdei proceſſus anteriores (*t*) juſtæ magnitudinis ſunt, ſed poſteriores (*u*) vix conſpiciuntur. Solitam figuram non

(*l*) Tab. II. Fig. 1. ante litt. e.
(*m*) Tab. II. Fig. 1. g. g.
(*n*) Tab. II. Fig. 1. h.
(*o*) Tab. II. Fig. 1. k.
(*p*) Tab. II. Fig. 1. i.
(*q*) Tab. II. Fig. 1. l.
(*r*) Tab. II. Fig. 1. q.
(*s*) Tab. II. Fig. 1. r.
(*t*) Tab. II. Fig. 1. o. o.
(*u*) Tab. II. Fig. 1. p. p.

Digitized by Google

non habent foramina (*v*), inter baſim osſis multiformis & proceſſus priores invenienda, pro nervis opticis. Multo amplius foramen lacerum, quod inter ejusdem osſis proceſſus laterales & priores datur, in ſiniſtro, quam in dextro, latere, quia illo in latere magis excavati proceſſus laterales osſis multiformis (*w*) ſunt, & magis a baſi & procesſibus prioribus remoti. Foramen contra, pro tertio ramo quinti paris nervorum (*x*), multo amplius in dextro, quam in ſiniſtro, latere, ut & illud, quod arteriæ carotidi internæ deſtinatum eſt (*y*). Eminentiis aſpera, mediisque ſulcis intrinſecus quaſi exarata, tenuiſſima admodum, & transparens pars ſquammoſa oſſis temporis in utroque, magis tamen in ſiniſtro, latere eſt (*z*). Partes petroſæ (*a*) tenui & acuto margine ſeſe ad baſim multiformis extendunt. Quæ pone foramen magnum (*b*) oſſis occipitis eſt capacitas, ampla admodum exiſtit, & oſſis illius pars, quæ muſculis immerſa eſt, præprimis tenuis-

(*v*) Tab. II. Fig. 1. *.
(*w*) Tab. II. Fig. 1. †. †.
(*x*) Tab. II. Fig. 1. t. t.
(*y*) Tab. II. Fig. 1. u. u.
(*z*) Tab. II. Fig. 1. w. w.
(*a*) Tab. II. Fig. 1. x. x.
(*b*) Tab. II. Fig. 1. *ſ*.

Digitized by Google

nuiſſima deprehenditur. Veſtigium ſinus lateralis ſiniſtri (*c*) altiorem longe ſitum occupat, quam dextri, & in hoc veſtigium illud, cui ſinus longitudinalis inhæſit (*d*), deſinit. Spina (*e*), cui adhærere ſolet proceſſus falciformis, ut & illa (*f*), cum qua nectitur duræ matris productio, ſeſe inter lobos cerebelli interſerens, magis verſus ſiniſtrum, quam dextrum, latus vergunt.

Interna ſuperficies partis ſuperioris (*g*) conceptaculi cerebri non minorem ſubiit mutationem. Coronalis ſutura (*h*) diſtincte apparet, ſagittalis vero non niſi parvum, leviſſimumque veſtigium (*i*) adeſt. Tenue quidem frontis os eſt (*k*), & in nonnullis locis inſigniter excavatum (*l*), ſed præcipue verticis oſſa (*m*) adeo abſumta ſunt, ut de interna lamella, de diploë ſeu intermedia, nil ſuperſit, & vix lamella externa detur, immo in multis locis hæc parvis foraminulis ſit pertuſa (*n*).

In-

(*c*) Tab. II. Fig. 1. κ.
(*d*) Tab. II. Fig. 1. λ.
(*e*) Tab. II. Fig. 1. ϑ.
(*f*) Tab. II. Fig. 1. ν.
(*g*) Tab. II. Fig. 2.
(*h*) Tab. II. Fig. 2. h. h.
(*i*) Tab. II. Fig. 2. g.
(*k*) Tab. II. Fig. 2. a.
(*l*) Tab. II. Fig. 2. d. d. d.
(*m*) Tab. II. Fig. 2. f. f.
(*n*) Tab. II. Fig. 2. l. l. l. l.

Digitized by Google

Inæqualem, de qua ſupra dixi, cranii expanſionem, verſus unum alterumve latus, ſæpius obſervamus. Eſt mihi cranium infantis, cui dentes ſecundi nondum prodierant, quod verſus latus dextrum maximopere expanſum eſt, in genere, pro illa ætate, magnitudinem præternaturalem habet, & in quo nulla unquam ſutura ſagittalis videtur adfuiſſe. — In alio cranio, pariter infantis, depreſſus vertex eſt eo in loco, ubi fontanella fuit, ſed verticis oſſa in duo notabilis magnitudinis tubera ſeſe extendunt ibi loci, ubi ſemper aliquantum prominere ſolent, ſic ut latitudinem inſignem hocce cranium habeat.

Ex deſcriptis hactenus capitibus, collectam intus aquam, & ante & longe poſt nativitatem, oſſa adficere, mutare, quodammodo conſumere, patuit, in his tamen caſibus capita non ad tantum gradum erant expanſa, ad quantum illa increviſſe alii notarunt, ipſeque hac in urbe in viva puella aliquoties obſervavi. Hujus, die 3. Sept. 1773. natæ, caput ad volumen inſigne erat expanſum, & ſemper antrorſum, ſimulque in latus dextrum prolabebatur: oſſa multum a ſe invicem receſſerant, & ſuturarum magnus aderat hiatus.

Digitized by Google

Totus ambitus capitis erat viginti & ſeptem pollicum pariſinorum, diſtantia arcuata a tubere osſis occipitis ad glabellam pollicum octodecim; diſtantia a meatu auditorio ſiniſtro ad dextrum, pariter octodecim pollicum. Laborabat tinea in latere capitis ſiniſtro; poſt tertium a nativitate menſem in regione temporali ſiniſtra phlyctenis vexata fuerat, convulſionibus erat correpta, & ſenſim evaſerat hydropica. Oculi protuberabant inſigniter, muta erat, tamen ſatis hilaris, & mente quodammodo conſtans. Ultimis vitæ menſibus capitis magnitudo non increvit, & convulſionibus die 9. Jan. 1777. ſuccubuit. Anatomicum examen negarunt parentes.

Ex collecta aqua tenuiſſima & maxime expanſa crania obſervarunt (*o*) multi, ſed, etiamſi non deſint, qui accurate partes omnes, cranio contentas, examinarunt, deſcripſerunt, illas, quas ſubierunt oſſa, mutationes vix attenderunt (*p*).

In

(*o*) Figuras infantum, hydrocephalo laborantium, dederunt varii, & inter hos Schröckius in Ephem. Nat. Cur. Dec. 3. ann. 4. obſ. 115. Ruyſchius Theſaur. Anatom. 2. Tab. 3. Stalpart van der Wiel Cent. 2. obſ. 14. alii.

(*p*) Collegit varios, qui Anatomice hydrocephalicorum capita exa-

Digitized by Google

In utero materno ſimili ferme modo mutatum cranium, ac ſeſe in duobus, primo loco enarratis, infantibus exhibuit, delineavit, ſed non niſi breviſſime deſcripſit Hebenſtreit (*q*). Superiorem partem cranii puellæ quatuordecim annorum, hydrocephalo laborantis, depinxit Trioen (*r*), ſed præcipuam attentionem meretur caſus, a Buttnero memoriæ proditus fœminæ, quæ, etiamſi hydrocephalo, morbo cæterum citius lethali, laboraverit, trigeſimum tamen atque primum ætatis annum attigit. Circumferentia hujus cranii erat triginta pollicum, pondus nondum ſeſquilibræ æquale deprehendebatur,

examinarunt, Aurivillius Diſſ. de hydrocephalo interno annorum quadraginta quinque, art. 4. in Theſaur. Diſſert. vol. 2. pag. 332. Conferri etiam merentur Gaudelii Diſſ. de hydrocephalo in eodem Theſauro vol. 2. pag. 339. C. Ludwig de hydrope cerebri puerorum in Baldingeri Syll. ſelect. Opuſc. vol. 5. pag. 120. ſeq. Pohlii Progr. de hydrocephalo infantis recens nati interno & externo. Lipſ. 177?. R. Whytt Obſervations on the Dropſy in the brain. pag. 25. Nat. en Geneesk. Bibl. V. D. pag. 790. J. T. Klinkosch de hydrocephalo fœtus rariore. Pragæ 1767. in Diſſert. medic. ſelect. Pragenſ. pag. 236. Swagerman Verhandeling over het Waterhoofd &c.

(*q*) De capitonibus, laborioſo partu naſcentibus; in Halleri Collect. Diſput. Anatom. vol. 6. pag. 320.

(*r*) Obſervat. Anat. Chir. pag. 24. tab. 2.

tur, ſic ut tenuiſſimum leviſſimumque fuiſſe conſtet. Ad tertium ante mortem annum fontanella nondum erat clauſa. Multi obſervabantur oſſificationis defectus. Figura non ovata erat, ſed dextra pars oſſis frontis magis prominebat, quam ſiniſtra, os verticis ſiniſtrum contra multo magis quam dextrum. Altitudo cranii a foramine magno osſis occipitis ad ſuturam ſagittalem erat novem pollicum rhenolandicorum. Frontis os per mediam ſuturam in plures partes dividebatur, ſed non æquales, illa enim magis verſus dextram ſuturæ coronalis partem adſcendebat, a qua alia ſutura etiam deſcendebat ad partem ſiniſtram, ſic ut frontis os in tres portiones ſeparаretur, quæ inſignis amplitudinis erant. Longitudo coronalis ſuturæ ab uno latere in oppoſitum erat octodecim pollicum cum dimidio, &, longis dentibus gaudens, multa ſeparata oſſicula continebat. Verticis os ſiniſtrum a principio ſuturæ ſagittalis usque ad partem ſquammoſam oſſis temporis ſui lateris longitudinem novem pollicum cum dimidio habebat, dextrum decem cum dimidio; hoc ad diſtantiam ſex pollicum a ſagittali carie erat exeſum, ſic ut tota externa ſuperficies deſtructa eſſet. Caries hæc ab ulcere in-

Digitized by Google

integumentorum capitis, neque depurato neque ſanato, originem trahebat, & ſeſe ad vitream usque tabulam, hinc multis parvis foraminibus patentem, extendebat. Longitudo ſagittalis ſuturæ ad lambdoïdeam novem erat pollicum, non autem recta procedebat, & tria ſeparata continebat osſicula, ſimiliaque, Wormiana, plura in utroque latere lambdoïdeæ ſuturæ aderant. Omnia oſſa hujus cranii tenuia erant, & in multis locis quartam, in aliis octavam, pollicis partem vix habebant. Capacitas cranii a frontis oſſe ad occiput erat octodecim pollicum, latitudo ipſius ab uno ad alterum os verticis octodecim pollicum cum dimidio. Longitudo baſeos cranii novem, latitudo ſex pollicum cum dimidio deprehendebatur. Sinus frontales aberant. Criſta galli latitudinem & longitudinem inſignem habebat, laminaque cribriformis ſeſe multo magis, quam ſolet, verſus latera extendebat. Depreſſum admodum fuit os multiforme, & ſeſe ſuis procesſibus lateralibus latius extendebat; ſphenoïdales ſinus hinc vix notandam habebant capacitatem. Partes ſquammoſæ osſium temporum verſus latera multum receſſerant, & os occipitis retrorſum, quod hinc mul-

Digitized by Google

multo planius erat, quam in aliis craniis, ſuis tamen eminentiis, foveisque ſolitis ab interiore inſtructum. Faciëi oſſa a radice naſi ad inferiorem marginem maxillæ inferioris vix quinque pollices longa erant. Os maxillare ſuperius tenuisſimum. Maxillæ nonnullos continebant dentes. Ex ampla admodum deſcriptione pauca hæc excerpere placuit. Dolendum quam maxime, figuras, quas ad illuſtrationem exactisſimæ deſcriptionis, ſubjunxit Buttnerus, tales eſſe, ut mirari quisque debeat, Virum Clar. a ſe impetrare potuiſſe, ut easdem in lucem emitteret; fatendum hoc de illis, quæ caput exhibent, de illis etiam, quæ alias partes ejusdem cadaveris; non enim ſubſtitit in examine ſolius capitis, ſed reliquas partes omnes cultro ſubjecit, earumque fabricam quam ſtudioſisſime inveſtigavit (*s*).

Tales, quas hactenus deſcripſi, mutationes (*t*) in osſibus cranii ſuboriri debere, quando illud aquæ

(*s*) Beſchreibung des innern waſſerkopfs und des ganzen beinkörpers einer von ihrer geburt an bis in 31ſte jahr krankgeweſenen perſon weiblichen geſlechte. Köningsberg. 1773.

(*t*) Conferri etiam meretur Morgagni lib. de ſed. & cauſ. morb. Epiſt. 12. art. 7.

Digitized by Google

aquæ magnam copiam continet, & per illam, in dies adauctam, maximopere diſtenditur, quisque intelliget, nec mirabitur, illud ſubinde potius veſicam pellucidisſimam retuliſſe, quam ſolidum caput, aut varias aperturas, ſolis membranis clauſas, in osſibus conſpici (*u*), verum vix comprehendet, quomodo per eundem morbum magnitudo cranii increſcere, ſimulque crasſities adaugeri potuerit, & tamen ex eodem morbo tales osſium cranii degenerationes eſſe derivandas, certisſimis exemplis probavi, & ex aquæ collectione magnitudinem craniorum, quorum icones dedi, ſummo jure derivare me poſſe, cenſui (*v*); de his itaque mutationibus non eſt, quod amplius dicam, ex omnibus, quæ de hoc morbo communicavi, illam formans concluſionem: osſa, ut plerumque ex diſtenſione, quam patiuntur, magnopere & excavantur & extenuantur, ſic

(*u*) In collectione præparatorum anatomicorum, quam posſedit Clar. van Doeveren, quæ vero nunc, ab Ampliſſimis Academiæ Curatoribus coëmta, in theatro Anatomico adſervatur, cranium infantis, olim hydrocephalo laborantis, datur, in quo plures tales oſſificationis defectus obſervantur.

(*v*) Exercitat. Academ. lib. 1. cap. 4.

ſic ut aliquando etiam pelluceant, ipſumque cerebrum & ſinus duræ matris conſpici queant, ita viciſſim quoque nonnunquam, licet rarius, craſſitudinem ſuam naturalem in tanta diſtenſione non ſolum retinere, ſed etiam duplo craſſiora fieri: capitis tumorem non ſemper æqualem eſſe, ſed inæqualitatem ejus notabilem ſæpe obſervari, ſic ut modo frons, modo ſynciput, modo occiput, modo tempora, magis protuberent; ſuturas, quæ aliquando inſigniter dehiſcunt, nonnunquam perfecte clauſas eſſe, imo ſubinde penitus obliterari.

An autem collectæ, longe ante nativitatem, in cavo encephali aquæ adſcribendæ ſunt illæ mutationes, quas obſervamus in craniis monſtroſorum infantum, acephalos quos dicere ſolent? Poſſe certe illas inde derivari, alio loco (w) oſtendi, ac Clar. virorum Morgagni, Halleri, auctoritate probare ſtudui, &, quum tunc de cunctis iis accuratius egerim, de talibus craniis amplius dicere, inutile foret; id vero hac occaſione monere liceat, me in cadavere illius infantis, cujus

(w) Anat. infantis cerebro deſtituti. pag. 64.

jus deſcriptionem delineationemque dedi, omnia viſcera thoracis, abdominis, examinaſſe, nullam vero a naturali, a ſano ſtatu, deviationem obſervaſſe, & ea propter nullam mentionem (quod doluerunt diarii Göttingenſis (*x*) Auctores) de iis injeciſſe. — Longe ſæpius in fœtibus ſexus ſequioris deformitates tales obſervari, quam in maribus, Morgagnum obſervaſſe, monui, meoque caſu, ut & aliis hanc opinionem confirmavi; his addiderunt dicti diarii Auctores Clar. Sömmering, qui ſimile monſtrum ſexus pariter fœminei adſervat. Inter quinque acephalos autem, qui una cum reliqua ſuppellectile Anatomica Clar. van Doeveren ad theatrum noſtrum pervenerunt, ſunt tres potioris, duo ſequioris, ſexus.

Non raro denique, quando aqua, in cerebri conceptaculo collecta, hydrocephalum conſtituit, ſimilis naturæ morbus in columna vertebrarum adeſt, & aqua, hujus in canali collecta, partes oſſeas, ex quibus quæque vertebra componitur, ab invicem ſeparat, morbusque producitur, quem ſpi-

(*x*) Götting. Anzeigen von Gelehrten ſachen 1784. num. 76.

Digitized by Google

ſpinam bifidam vocare ſolemus. Recedunt partes laterales oſſeæ (quæ confluere poſtea ibi loci ſolent, ubi proceſſus ſpinoſus datur, ſed in fœtu, in juniore ætate, cartilaginis interventu, conneƈtuntur) a ſe invicem, expanduntur membranæ, quæ ſpinalem medullam inveſtiunt, in tumorem extenduntur, una cum integumentis, & transparet aqua, intus contenta, aut jam ante nativitatem disrumpitur talis tumor, & in neonato ulcus in hac illave dorſi parte, præcipue vero in lumbis, conſpicitur, in cujus fundo nuda medulla apparet.

Tale quid locum habuit in infante, cujus cranium in principio hujus capitis deſcripſi. Aderat in lumbis apertura, pollicem longa, duasque tertias pollicis partes lata, verſus quam integumenta, quæ ad diſtantiam quartæ partis pollicis craſſum, rotundulum, rubellum, marginem formaverant, extenuata, eodem modo procedebant, quemadmodum plagæ cicatriſantis ambitus verſus medium locum ſenſim ſeſe extendere ſolet. Per hæc integumenta, taƈtus ope, a quoque latere margo oſſeus percipiebatur facile. In fundo diƈtæ aperturæ primo conſpiciebatur membrana te-

ne-

Digitized by Google

nera, rubella, hac vero ſeparata, oblongum corpuſculum, ſulco non admodum profundo in duas partes diviſum, quod erat medulla ſpinalis; dura mater, quæ, in parte ſuperiore aperturæ integra, verum formabat canalem, disrupta erat in ipſa apertura, & verſus latera reflexa videbatur cum integumentis confluxiſſe. Separatis integumentis, depuratis oſſibus, conſtitit ſpinam, per totum lumborum tractum, eſſe apertam, & omnium, quotquot lumbos conſtituunt, vertebrarum partes oſſeas laterales multum a ſe invicem recesſiſſe, deſtructis cartilaginibus, quæ eas partes nectere, & in proceſſus ſpinoſos excreſcere ſolent, ſic ut pollicis ferme diſtantia, ſaltem in inferioribus, adeſſet. Partem poſteriorem osſis ſacri membrana claudebat.

In altero infante, cujus cranium ſecundo loco deſcriptum eſt, etiam aderat ſpina bifida. Infima dorſi, tres ſuperiores lumborum vertebræ, ſic erant mutatæ, ut hiatus, ſex octavas pollicis partes latus, pollicem cum una quarta parte longus, remanſerit inter partes laterales oſſeas, quæ tantopere ab invicem erant remotæ. Quartæ vertebræ lumborum partes omnes majus, quam ſolent,

Digitized by Google

lent, inter ſe relinquebant ſpatium, ſed cartilagineæ partes, quæ eas nectunt, non conſumtæ, ſed magis quaſi expanſæ erant, adeo ut canalis vertebrarum inferiori hoc in loco capacior eſſet, quam in ſtatu naturali, quemadmodum ſupra fisſuram ipſius capacitas ſenſim increſcebat, quo magis ad illam appropinquabat.

CAPUT SECUNDUM.

De craniis præter modum craſſis.

Tenuiſſimi cranii exemplum maxime notandum præbuit caput primum, oppoſitam degenerationem ſubinde obſervamus, & crasſitiem osſium capitis tantam, ut forte vix credibiles enarrandæ obſervationes cenſerentur, niſi ipſa crania exhibere, illorumque figuras ſubnectere poſſem.

Duo inprimis hoc reſpectu notanda crania in Theatro Anatomico adſervantur, quæ Facultas medica una cum aliis Celeb. Rauio debet. De his, in ſuppellectilis hujus viri indice, paucis egit Clar. Albinus (*a*), ſed videntur ulteriori deſcriptio-

(*a*) Ind. Suppel. Anatom. Rauianæ pag. 4.

Digitized by Google

ptione digna una cum cranio alio, quod, vario ſenſu notabile, jam per ducentos annos adſervatum fuit, & de quo alia occaſione mentionem feci (*b*).

Primum cranium ſequentibus deſcripſit Clar. Albinus. „ Caput oſſeum virile, cujus oſſa frontis, verticis, occipitis, ſquammoſa, & cuneiformis laterales partes, quæ in temporibus conſiſtunt, fere digitum craſſa, ſubſtantia oſſea, fungoſa quaſi, rara, copioſisſima, inter binas tabulas eorum, per ſe ſatis tenues repoſita. Sinuum frontalium veſtigium apparet nullum. " —— Crasſities hujus cranii maxime notanda eſt, & ut juxta naturæ leges calvaria in omnibus locis non æque craſſa exiſtit, ſic & hoc aliam in aliis partibus crasſitiem monſtrat. Patet hoc facta horizontali ſectione. Frontis enim os mox ſupra radicem naſi quinque octavas pollicis partes craſſum eſt, verſus latus, præcipue dextrum procedens crasſitudine adaugetur, ſic quidem, ut externa ab interna tabula tres quartas pollicis partes diſtet. Inde introrſum procedentes laminæ, quæ orbitarum par-

(*b*) Obſervat. Anatom. Patholog. lib. 3. pag. 109.

Digitized by Google

partem ſuperiorem conſtituunt, magnam craſſitiem habent, multumque deſcendunt, ſic ut cribriforme os profundo admodum loco conſpiciatur. Verticis oſſa, ubi partes ſquammoſas oſſium temporum admittunt, tres octavas pollicis partes craſſa, dein paulo tenuiora ſunt; ubi ſuperiorem cranii partem conſtituunt, craſſitiem dimidii pollicis habent, ubi vero invicem conjunguntur, iterum parum de ſua craſſitie amiſerunt. Partes ſquammoſæ oſſium temporum quartam partem pollicis craſſæ ſunt; proceſſus lateralis oſſis multiformis, præſertim in latere dextro, craſſitiem habet trium quartarum partium pollicis. Occipitis os, in apice quartam partem pollicis craſſum, deſcendendo ſenſim ita augetur, ut medio in loco craſſities circiter dimidium pollicem æquet. Adaucta præcipue intermedia diploë eſt, & hæc in oſſe frontis, inferioribus partibus oſſium verticis, proceſſu laterali dextro multiformis admodum rara & quaſi fungoſa eſt; in media & ſuperiore parte oſſium verticis multo compactior, ſolidior, ut & in occipite, & his in locis externa internaque tabula eandem habet ac in reliquis tenuitatem. Baſis oſſis multiformis cum procurrente parte oſſis

Digitized by Google

ſis occipitis concrevit, reliqui autem nexus omnes ſolubiles ſunt. Sinuum frontalium veſtigium adparere nullum, ſua in deſcriptione dixit Clar. Albinus, concluſit hoc ſine dubio ex foramine, quo forte pertuſa illa osſis frontis pars eſt, ubi ſinus dexter adeſſe ſolet, quodque inter externam internamque lamellam & hoc in loco, ut in omni alio, non niſi diploën intermediam eſſe, oſtendit. Verum adſunt revera ſinus, dexter & ſiniſter, craſſo ſatis pariete diſtincti, & amplitudinem habent majorem, quam ſæpe in aliis craniis monſtrant, verum non inveniuntur loco ſolito, ſed dimiſſiori, & præcipue in illis lamellis, quæ ſuperiorem orbitarum partem formant, quæ hinc inſignem videbantur habere craſſitiem, cum tamen ex duabus, a ſe multum recedentibus, lamellis conſtabant, inde parum ſurſum adſcendebant, ſic ut ab anteriore multa diploë ipſis accumberet, & interna tantum lamella oſſis frontis multum introrſum procurreret. Adjecta oſſium verticis, media in parte diviſorum, figura, qualem hoc cranium habuerit craſſitiem, probat (*c*).

Dif-

(*c*) Tab. III. Fig. 1.

Digitized by Google

Differt a præcedenti caput oſſeum, cujus partes nonnullas etiam delineavi (*d*), totum, ut dicit Clar. Albinus (*e*), mirabiliter craſſum, compactum, durum, forte, ponderoſum, & mire etiam ubique a naturali ſpecie recedens.

Hocce cranium, globoſum, ferme rotundum, inter os frontis atque cruciatam eminentiam oſſis occipitis, cui falciformis & laterales proceſſus adhærent, diſtantiam monſtrat quinque pollicum cum dimidio, inter medias oſſium verticis partes circiter quinque pollicum. Craſſities, in aliis oſſibus alia, maxime notabilis eſt in parte laterali ſiniſtra oſſis frontis, quæ æqualis eſt ſeptem octavis, in dextro latere ſex octavis, pollicis rhenolandici partibus (*f*). Media oſſis verticis pars, dimidium pollicem craſſa, verſus omnem ambitum parum extenuatur (*g*). Craſſa ſatis etiam ſuperior oſſis occipitis pars, & tres octavas pollicis partes æquat. Proceſſus laterales oſſis multiformis etiam ſolito craſiores ſunt, ut & partes ſquammoſæ oſſium temporum, quin & jugalia hoc ſenſu a naturali ſta-

(*d*) Tab. III. Fig. 2. 3.
(*e*) Ind. Supp. Anatom. Rauianæ. pag. 4.
(*f*) Tab. III. Fig. 3. (*g*) Tab. III. Fig. 2.

Digitized by Google

ſtatu recedunt. Hæc, ut & verticis & temporum oſſa, a reliquis ſoluta ſunt, alii contra nexus perierunt: firmiter cum baſi osſis multiformis concrevit os occipitis, & proceſſus priores osſis multiformis indiſſolubili nexu cum frontis lamellis copulantur, cum quibus illæ proceſſuum lateralium partes etiam confluxerunt, quæ ad latera foraminum oculorum formanda concurrunt. Proceſſus naſales osſium maxillarium intra orbitas ſeſe multum extendunt, & formant etiam partem priorem osſiculorum unguis, quæ ad ſinum pro ſacco lacrymali & ad principium canalis naſalis pertinet, reliqua autem osſiculi unguis pars in utroque latere periit. Abſunt alveoli omnes, & margo osſium maxillarium, quo contineri dentes ſolent, craſſus, ſolidus, compactus exiſtit. Subſtantia, quæ inter craſſa hujus cranii oſſa datur, differt ab illa, quæ in præcedenti capite aderat, non rara aut fungoſa (*h*) exiſtit, ſed admodum compacta, & nec ab exteriore nec ab interiore tabula diſtingui poteſt, imo verum ebur refert (*i*), hinc hoc

(*h*) Tab. III. Fig. 1. c c.

(*i*) Tab. III. Fig. 2 & 3. c.

Digitized by Google

hoc caput præcedenti multo ponderoſius eſt, & duas libras ac ferme tres uncias æquat, præcedens nondum duas attingit, imo pondere ſuo non multum ſuperat cranium adulti & bene conformati ſceleti, quod primo harum Exercitationum libro, capite quarto, deſcripſi.

Adeſt præterea in Theſauro Rauiano tertium caput, pariter ſatis craſſum, hoc autem deſcriptis multo tenuius eſt, & talem crasſitiem habet, qualem ſæpius in aliis calvariis obſervamus, attamen hoc ſenſu differt, quod ſit compactisſimum & valde ponderoſum; ſubſtantia enim non eſt adeo ſpongioſa, quam illa, quæ mediam diploën in primo capite conſtituebat; ſed convenit magis cum ea, qua componuntur oſſa alterius.

Eſt autem ad manus cranium vetuſtisſimum, quod a longisſimo tempore inter alia rariora in theatro anatomico monſtratum eſt, æthiopis, famuli Domini a Batenburg, qui in Obſidione Harlemenſi periit, quod notandam crasſitiem habet. Verticis quippe oſſa tres octavas pollicis partes craſſa ſunt, frontis vero os crasſitiem monſtrat quinque octavarum partium. Tabula hujus cranii externa internaque quam durisſima eſt, media di-

Digitized by Google

diploë, neque adeo ſpongioſa, ac in primo capite, neque adeo dura, ac in ſecundo, magis ad naturalem accedit.

Tria ergo, hactenus memorata crania, talem habent craſſitiem, qualis raro obſervari ſolet, & paucæ adnotatæ ſunt obſervationes, quibus conſtat, alios hoc ſenſu degenerata crania vidiſſe; nonnullas adferre placet.

Clar. Jancke poſſedit caput fœminæ, annos unum & viginti natæ, cujus calvaria juſtæ quidem altitudinis & amplitudinis erat, aſt tota, a parte anteriore ſuperiore & poſteriore, adeo craſſa & firma, ut ad pollicis paulo craſſioris craſſitiem accederet, præter partem inferiorem ſeu baſim, quam nec craſſiorem nec firmiorem vidit, quam in aliis craniis. Hic ſimul animadvertit, etiamſi tenuiſſima & craſſisſima crania ſint, tamen baſes ſemper eodem modo ſe habere (*k*), & in his ego mutationes tales detegere non potui.

Magnum ſibi craniorum numerum eſſe, in quibus incredibilem quoad crasſitiem tenuitatemque

(*k*) De foraminibus calvariæ, eorumque uſu artic. 3. Theſaur. Diſſert. vol. 2. pag. 202.

Digitized by Google

que cernere eſt diverſitatem, jam dixit Pauwius (*l*).

Welſchius cranium bajuli proceræ ſtaturæ memorat, quod, nullis ſuturis præditum, præterea denſisſimum erat, ſic ut digiti fere annularis crasſitiem adæquaret (*m*).

Dresdæ in Theatro Anatomico adſervari cranium humanum, cujus crasſities pollicem æquat, annotavit Keisſler (*n*).

Hunauld Academiæ Pariſinæ oſtendit cranium infantis trium quatuorve annorum, cujus oſſa ferme ubique craſſitiem ſeptem vel octo linearum habebant; erant autem mollia, & compreſſa ſanguinem lymphamque emittebant (*o*).

Mirandum os frontis deſcripſit Moehſen; in margine enim qui cum osſibus bregmatis connectitur, crasſitiem habet octo vel decem linearum; proceſſus ſeu alæ, quæ ſuperiorem orbitæ partem conſtituunt, dimidium pollicem & amplius crasſitie

(*l*) Succent. Anatom. pag. 16.

(*m*) Hecatoſtea prima obſervat. phyſic. medic. num. 77.

(*n*) Neueſte Reiſen durch Teutschland, Böhmen, Ungarn. &c. 2 Th. pag. 1073. 86. Brief.

(*o*) Acad. des Sciences l'année 1734. hiſt. pag 60. edit. Amſt.

Digitized by Google

ſitie æquant. Hujus oſsis deſcriptionem non tantum ſed & delineationem dedit (*p*).

Conſtat ex hiſce exemplis, fuiſſe ſubinde viſa crania inſignis crasſitiéi, vix autem talia, qualia deſcripſi. — Nonnullis nationibus crania denſisſima peculiaria eſſe, veteres & recentiores nonnulli annotarunt, verum, licet diverſarum nationum calvarias examinare potui, differentiam in omnibus nationibus eandem obſervavi.

(*p*) Act. Phyſico-Medica Tom. 8. obſ. 68. pag. 251. Tab. 5. fig. 1. 2. Tab. 6. fig. 1.

CAPUT TERTIUM.

De ſingulari oſſis frontis, ex fungo duræ matris, degeneratione.

Strenuo potatori, annorum circiter quadraginta trium, coloris fuſci, temperamenti atrabilarii, ſano tamen, ſine cauſa manifeſta, ſenſim os frontis ſupra orbitam ſiniſtram protuberare cœpit, increvit per plures annos tumor paulatim ſine aliis ſymptomatibus, quam palpebræ ſuperioris ejusdem lateris intumeſcentia & paralyſi. Intumuit dein

dein ejusdem oculi conjunctiva, ut turpi ſpectaculo multum ſupra corneam ſeſe elevaret; ſenſimque diverſa ſeſe manifeſtarunt ſymptomata. Hebes, obliivioſus, fiebat, dexter oculus videndi facultatem amittebat, ſuperſtite tamen viſu in oculo ſiniſtro. Anno circiter ante mortem, tumore oſſis continuo adaucto, acceſſit per intervalla cephalalgia ſæviſſima, ſupervenit utriusque oculi cæcitas, extremitatum inferiorum infirmitas, torpor, vacillatio, paralyſis. Inſcius alvum & urinam deponebat. Latus dextrum per intervalla tremere, concuti, convelli, cœpit, integre dein obſtupuit, & demum apoplecticus moriebatur.

Os frontis in cadavere magis tumidum & ſingulari modo mutatum inveniebatur, & ſub eo ex dura matre enatus detegebatur inſignis magnitudinis fungus.

Pars magna degenerati hujus oſſis, tribus figuris illuſtrata, mutationem, quam ſubiit, exactiſſime ob oculos ponit (*q*), quarta autem fungum adumbrat (*r*).

Ad-

(*q*) Tab. III. Fig. 4. 5. 6. (*r*) Tab. III. Fig. 7.

Digitized by Google

Adaucta primo loco crasſities hujus osſis eſt, præſertim eo magis quo plus deſcendit. Ea etenim pars, quæ ſynciput conſtituit (*s*), ſolitam ferme crasſitiem habet, ſed ad diſtantiam trium pollicum a ſupercilio ſenſim crasſities adeo augetur, ut demum quinque octavas pollicis rhenolandici partes ſuperet (*t*). Margo ſupercilii (*u*), pariter admodum craſſus, præterea inæquabilis admodum atque tuberculoſus exiſtit; crasſities in parte laterali externa, quæ ad os jugale tendit (*v*), ferme dimidii pollicis eſt, tenuior multo exiſtit in parte laterali interna (*w*), ibique inter internam externamque osſis tabulam obvius ſinus frontalis pro parte ſeſe manifeſtat (*x*); ſed inæqualitatibus oſſeis aliquomodo impletus. Lamella hujus osſis, quæ conceptaculum cerebri diſtinguit a cavo oculi, ſano in ſtatu tenuisſima, compacta adeo atque craſſa eſt, ut tres octavas pollicis partes referat (*y*). Cavum ipſum ocu-

(*s*) Tab. III. Fig. 4. a. Fig. 5. d. d. Fig. 6. e.

(*t*) Tab. III. Fig. 6. d.

(*u*) Tab. III. Fig. 4. c. c. Fig. 5. b. Fig. 6. a.

(*v*) Tab. III. Fig. 5. b. Fig. 4. c. inf.

(*w*) Tab. III Fig. 4. c. ſup.

(*x*) Tab III. Fig. 6. c.

(*y*) Tab. III. Fig. 4. d. d. Fig. 5. a. a. Fig. 6. b.

oculi maximopere imminutum, refertum eminentiis oſſeis, admodum inæqualibus (z), ſic ut minime mirum ſit, oculum pati debuiſſe, viſumque ſenſim fuiſſe abolitum.

Ad externam hujus oſſis ſuperficiem ſi adtendimus, hæc admodum inæquabilis, tuberculata exiſtit, depresſiones intermediasque eminentias bene multas oſtendit (a). Singularis vero degeneratio a parte interiore hujus oſſis eſt eo in loco, cui accubuit fungus duræ matris, prope lamellam, quæ cavum oculi hac in parte tegit; deſtructa lamella vitrea eſt, diploë autem arroſa videtur, ſic ut hæc oſſis interna ſuperficies nunc conſtet ex eminentiis pluribus, oſſeis, longioribus, brevioribus, crasſioribus, tenuioribusque, prout intermediæ excavationes, profundiores, magis minusve extenſæ, ſunt (b): nec libera ab hocce vitio lamella eſt, quæ foraminis oculi ſuperius latus conſtituit (c).

Fungus ipſe, compacta ſatis ſubſtantia conſtans, lata baſi ex dura matre enatus, tres polli-

ces

(z) Tab. III. Fig. 4. e. e. Fig. 6. g.
(a) Tab. III. Fig. 4. f. f.
(b) Tab. III. Fig. 5. f. f. 6. f.
(c) Tab. III. Fig. 5. e. Fig. 6. f.

ces longus, ad ſeſquipollicis crasſitiem ſeſe extenderat, & externam ſuperficiem admodum inæquabilem offerebat (*d*).

Tumores hujus naturæ ex dura matre fuiſſe progenitos, rarum non eſt, & probarunt Saltzmann (*e*), Crellius (*f*), Louis (*g*), illorum numerum magnum eſſe, qui illos viderunt, deſcripſerunt. Mutationes autem, quas cranii oſſa inde ſubierunt, in omni caſu non fuere eædem. Plerumque, ſi non ſemper, natus ex dura matre fungus ſenſim os conſumſit, carioſum quaſi reddidit, factum foramen adimplevit, imo per illud demum penetravit; adeo ut in craniis eorum, qui hoc morbo laborarunt, majus minusve conſpiceretur foramen, cujus margines inæquabiles, carioſi ſunt, quodque ab exteriore minus quam ab interiore exiſtit, majore quippe parte tabulæ vitreæ & intermediæ, quam externæ, conſumta (*h*).

Si nunc tanta mutatio in duris partibus produci-

(*d*) Tab. III. Fig. 7.

(*e*) Comment. Acad. Scient. Petropol. Tom. 3. pag. 275.

(*f*) Diſſ. de tumore capitis fungoſo, in Halleri Collect. Diſput. Chir. Tom. 1. pag. 47.

(*g*) Memoires de l'Acad. de Chirurgie. Tom. 5. pag. 1-60.

(*h*) Ibid. pl. 1 & 2.

Digitized by Google

citur, quid mirum, ſi cerebrum tali in caſu, a tumore ſenſim increſcente, comprimatur, ipſiusque functiones penitus perturbentur. Adimplet mollisſimum hocce viſcus totum conceptaculum ſuum, ſeſe accommodat diverſis eminentiis, excavationibus, quæ praecipue in baſi adſunt, nullus ergo locus vacuus datur, qui aliquid admittere posſit, aut verſus quem ſeſe recipere, alicubi compreſſum & ſua ſede dimotum, encephalon queat. Si ergo corpus quoddam, molle licet, ex parte quadam membranarum cerebri progerminat, debet illud dimovere, premere, comprimere; notum autem, quanta mala a tali compresſione ſæpius oriuntur (*i*); explicatu ergo facillima omnia ſymptomata ſunt, in ægro, cujus os frontis hoc capite deſcripſi, obſervata. Hebetudo, oblivio, viſus depravatio, abolitio, cephalalgia ſævisſima, extremitatum inferiorum infirmitas, torpor, vacillatio, paralyſis, fœcum urinæque involuntaria excretio, lateris dextri tremores, concusſiones, convulſiones, ſtupiditas, epilepſia, & quæ ſunt mala alia, hæc omnia ex ſola presſione

ne

(*i*) Conf. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 1. pag. 116. ſeq. Lib. 3. pag. 45. 51.

ne in cerebrum, ut toties in aliis caſibus (*k*), ſic & in hoc, produci potuerunt, cui præterea acceſſit mira degeneratio ipſius oſſis, quæ, ut extrinſecus tumorem produxit, intrinſecus tanta ac talis fuit, ut in partes molles internas vim quamdam exſerere, & in oculum præcipue agere debuerit.

(*k*) Talia mala producta leguntur & ex mollioribus & ex durioribus tumoribus, in cerebri conceptaculo enatis. Exemplum inter alia præbuit exoſtoſis rarior cranii, quam deſcripſit, delineavit J. Caspart in Diſſertatione, quæ in Halleriana Collectione opuſculorum chirurgicorum invenitur Tom. I. pag. 65. Similesque caſus collegerunt ferme omnes, qui de illis affectibus, quibus vexatus æger fuit, exacte egerunt.

CAPUT QUARTUM.

De concretione plenaria cranii, omnium vertebrarum colli, duarumque ſuperiorum dorſi.

Inter morbos oſſium, rarius deſcriptos, anchyloſes cranii, atlantis & epiſtrophei, merito eſſe referendas, primo harum Exercitationum libro probavi (*a*); hoc autem ſi verum eſt, ut nemo fa-

(*a*) Exercitat. Acad. Lib. I. cap. I. 2. 3.

Digitized by Google

facile negabit, rariſſima cenſeri debebit illa, quam hoc capite deſcribam, quæque plenariam concretionem ſiſtit cranii, omnium vertebrarum colli, & duarum ſuperiorum dorſi, ſic tamen, ut partes omnes egregie conſpici & diſtingui poſſint.

Tota hæcce compages oſſea, quam in propria osſium morboſorum collectione adſervo, ex tot partibus, olim ſeparatis compoſita, ſingularem ſitum reſpectu colli exhibet; totum quippe caput multum verſus latus ſiniſtrum inclinat, & hoc ſenſu oblique collo inſiſtit (*b*), ſed & facies tantopere verſus latus dextrum vergit, ut margo alveolaris ſiniſtri lateris ferme in eadem linea ſit cum media parte corporum vertebrarum (*c*). Arcus poſterior atlantis (*d*) plane liber eſt ab oſſe occipitis, ſed cum condylis hujus oſſis confluxerunt duo illi ſinus, qui in prima vertebra pro mobili articulo cum capite dantur (*f*). Arcus anterior atlantis (*g*) maximam partem cum margine

prio-

(*b*) Tab. IV. Fig. 2.

(*c*) Tab. IV. Fig. 1.

(*d*) Tab. IV. Fig. 2. f. f. g. Tab. V. Fig. 1. p.

(*e*) Tab. IV. Fig. 2. e. Tab. V. Fig. 1. m.

(*f*) Tab. IV. Fig. 2. i. i. Tab. V. Fig. 1. n.

(*g*) Tab. IV. Fig. 1. k. k. Tab. V. Fig. 1. o.

Digitized by Google

priore foraminis magni coluæret, & medio loco parva tantum fiſſura ſupereſt (h). Diſtantia inter marginem poſteriorem foraminis magni atque arcum atlantis ferme talis eſt, ut in ſtatu naturali, & tuberculum (i), quod ipſi loco proceſſus ſpinoſi eſt, cum media oſſis occipitis parte etiam reſpondet, ſic ut, reſpectu atlantis, capitis ſitus non multum mutatus ſit: verum atlas rurſus concrevit, ubi mobilibus, in ſtatu naturali, articulis necti ſolet, cum epiſtropheo (k), & diſtantia inter proceſſum transverſum atlantis (l) ſimilemque epiſtrophei (m) minor eſt in latere ſiniſtro, quam in dextro, vergit hinc verſus latus ſiniſtrum caput. Poſterior arcus atlantis (n) etiam ab epiſtropheo (o) liber eſt, arcus vero anterior (p) & cum corpore epiſtrophei (q) & cum dente ipſius (r) nexus eſt, ſic ut duo tantum foramina, unum a quoque latere dentis, remanſerint.

Dens

(h) Tab. IV. Fig. 1. m.
(i) Tab. IV. Fig. 2. g.
(k) Tab. IV. Fig. 1. o. o. p. Fig. 2. m. m. Tab. V. Fig. 1. 3.
(l) Tab. IV. Fig. 1. n. n. Fig. 2. h. h.
(m) Tab. IV. Fig. 1. q. q. Fig. 2. n. n.
(n) Tab. IV. Fig. 2. f. f. g.
(o) Tab. IV. Fig. 2. k. k. l.
(p) Tab. IV. Fig. 1. k. k. l.
(q) Tab. IV. Fig. 1. o. o. Fig. 2. m. m.
(r) Tab. IV. Fig. 1. p. Conf. Tab. V. Fig. 1. 1. 1. 2.

Digitized by Google

Dens hic, ad marginem priorem foraminis magni oſſis occipitis accedens, cum eo etiam cohæret. Proceſſus hujus vertebræ ſpinoſus (*s*), ab omni alia parte liber, non eſt in eadem linea cum tuberculo in arcu poſteriore atlantis (*t*), ſed vergit verſus latus dextrum, eandem tamen perfecte directionem ſervans, quam habent omnes proceſſus ſpinoſi ſubſequentium vertebrarum (*u*). Eadem illa ſecunda vertebra cum tertia; tertia cum quarta, quarta cum quinta & ſic porro, triplici in loco confluxerunt; corpora enim ſic cohærent, ut in partibus lateralibus, ubi rami priores proceſſuum transverſorum oriuntur, unam maſſam conſtituant (*v*), & non tantum lamella tenuis oſſea ab uno corpore ad aliud tendat (ut ſæpiſſime vertebræ nectuntur), verum & intrinſecus ipſa videantur confluxiſſe. Aſt inter media corpora omnium harum vertebrarum, ab anteriore viſa (*w*), hiatus (*x*) eſt, quem olim replebat illa

(*s*) Tab. IV. Fig 2. l. Tab. V. Fig. 1. num. 9.

(*t*) Tab. IV. Fig. 2. g. Tab. V. Fig. 1. num. 8.

(*u*) Tab. IV. Fig. 2. p. s. v. y. β. ε. δ. Tab. V. Fig. 1. num. 10. 11. 12. 13. 14. D. E.

(*v*) Tab. IV. Fig. 1. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Tab. V. Fig. 1. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. A. B.

(*w*) Tab. IV. Fig. 1. r. t. v. x. z. β. δ.

(*x*) Tab. IV. Fig. 1. *.

illa ſubſtantia ligamentoſo-cartilaginea, quæ ſemper vertebrarum corpora nectere ſolet. Confluxerunt præterea proceſſus articulares omnes (*y*), & porro arcus omnium harum vertebrarum (*z*), ſic ut parvæ tantum fiſſuræ dentur, ubi proceſſus ſpinoſi de illis arcubus emergunt. Omnes vertebrarum partes integerrimæ ſunt; nil inſoliti aut præternaturalis in cranio obſervatur, niſi quod ſutura lambdiformis non in apicem, inter duo oſſa verticis, excurrat, ſed latitudinem a ſuperiore inſignem habeat. Carioſus quaſi eſt ſinus in oſſe temporum ſiniſtro, qui pro articulatione cum maxilla inferiore inſerviit.

Hæc generalis raræ hujus anchyloſis deſcriptio non parum illuſtrabitur, ſi tres icones, quas neceſſarias duxi, ſeparatim examinentur.

Siſtit prima objectum ab anteriore (*a*), altera a poſteriore (*b*), tertia a latere (*c*). In prima quam exactisſime apparet nexus atlantis (*d*), cum

(y) Tab. IV. Fig. 2. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Tab. V. Fig. 1. num. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

(z) Tab. IV. Fig 2. k. o. r. u. x. α. δ.

(*a*) Tab. IV. Fig. 1.

(*b*) Tab. IV. Fig. 2.

(*c*) Tab. V. Fig. 1.

(*d*) Tab. IV. Fig. 1. k. l. k.

(*e*) Tab. IV. Fig. 1. h.

cum margine anteriore foraminis magni (*e*), ſic ut parva tantum fiſſura (*f*) remaneat; ejusdem vertebræ confluxus cum epiſtropheo (*g*), cujus dens (*h*), cum interiore parte atlantis concretus, diſtinguitur a corpore (*i*), duabus aperturis (*k*), quarum una a quoque latere eſt. Hiatus inter ſecundam hanc atque tertiam (*l*), inter tertiam & quartam, imo inter omnes vertebras, ſatis notabilis eſt; cum periit ea ſubſtantia, quæ corporibus vertebrarum interjici ſolet; ſed a latere illarum fiſſurarum, quæ ſeſe ad proceſſus transverſos (*m*) non extendunt, nexus corporum inter ſe conſpicitur (*n*), non extrinſecus tantum ſeſe manifeſtans, ſed & ad interiora ſe extendens. Proceſſus transverſi primæ vertebræ (*o*) multum, prout ſolent, verſus latera excurrentes, duas, quibus conſtant, radices, mediumque foramen monſtrant; ſecundæ (*p*) non niſi radices an-

(*e*) Tab. IV. Fig. 1. h.
(*f*) Tab. IV. Fig. 1. m.
(*g*) Tab. IV. Fig. 1. o. o.
(*h*) Tab. IV. Fig. 1. p.
(*i*) Tab. IV. Fig. 1. o. o.
(*k*) Tab. IV. Fig. 1. inter o & p. in utroque latere.
(*l*) Tab IV. Fig. 1. *.
(*m*) Tab. IV. Fig. 1. q. s. u. w. y. α. γ. ε.
(*n*) Tab. IV. Fig. 1. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.
(*o*) Tab. IV. Fig. 1. n. n.
(*p*) Tab. IV. Fig. 1. q. q.

Digitized by Google

anteriores conſpici poſſunt; tertiæ (*q*) & ſubſequentium omnium mucrones bifidi comparent, medioque loco ſulcus adeſt; duarum denique ſuperiorum dorſi (*r*) proceſſus transverſales, ut & corpora ipſa vertebrarum ſinus monſtrant, cum quibus & tubercula & capitula coſtarum cohærere ſolent. Confluxus proceſſuum articularium hac in figura non adeo in oculos incurrit, præterquam in infimis vertebris; foramina autem pro transmittendis nervis in quoque latere non deſunt.

Altera figura, ſitum, quem caput reſpectu colli tenet, monſtrans, illudque a parte poſteriore exhibens, plenarium condylorum oſſis occipitis, cum ſinubus in atlante obviis, confluxum (*s*) oculis offert, ut & diſtantiam inſignem, quæ inter marginem poſteriorem foraminis magni (*t*) arcumque atlantis (*u*) datur, qualis etiam admodum notabilis in ſiniſtro latere inter dictum arcum & epiſtropheum (*v*) invenitur; in oppoſito latere ſimilis quidem adeſt diſtantia, verum proceſſus ſpinoſus epiſtro-

(*q*) Tab. IV. Fig. 1. s s. uu. ww. yy. αα.
(*r*) Tab. IV. Fig. 1. γ. ·.
(*s*) Tab. IV. Fig. 2. i. i.
(*t*) Tab IV. Fig. 2. e.
(*u*) Tab. IV. Fig. 2. f. f. g.
(*v*) Tab. IV. Fig. 2. k.

ſtrophei (*w*) bifidus & inſignis latitudinis, verſus latus dextrum directus, eam ſic tegit, ut diſtingui nequeat. Confluxiſſe non tantum proceſſus articulares (*x*), quibus transverſorum (*y*) radices poſteriores adſtare videntur, ſed & arcus (*z*) omnium vertebrarum, qui nempe foramen a parte poſteriore claudunt, ſic ut parvus ſolummodo hiatus relinquatur, infra proceſſum cujusque vertebræ ſpinoſum, detegendus, eadem hæc figura abunde monſtrat.

Tertia denique lateralem conſpectum omnium harum vertebrarum, & nonnullarum partium cranii, ſiſtit. Non longe infra proceſſum mammillarem (*a*), ſpinoſum (*b*), & aliformen osſis multiformis (*c*), atlantis & cranii confluxus (*d*) apparet, diſtantia inter marginem lateralem foraminis magni (*e*), & arcus poſterioris atlantis (*f*) partem lateralem, inter eandem & proximam partem

(*w*) Tab. IV. Fig. 2. l.
(*x*) Tab. IV. Fig. 2. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.
(*y*) Tab. IV. Fig. 2. u. t. w. z. γ. ξ. ι.
(*z*) Tab. IV. Fig. 2. k. o. r. u. v. α. δ. π.

(*a*) Tab. V. Fig. 1. k.
(*b*) Tab. V. Fig. 1. l.
(*c*) Tab. V. Fig. 1. f.
(*d*) Tab. V. Fig. 1. n. o.
(*e*) Tab. V. Fig. 1. m.
(*f*) Tab. V. Fig. 1. p.

Digitized by Google

tem epiſtrophei (*g*), ſic ut hic loci foramen magnum compareat, in duo foramina, per medium atlantem, diviſum. Infra hocce foramen & verſus partem priorem cohæſio duarum ſuperiorum colli vertebrarum (*h*), & infra hanc confluxus omnium proceſſuum obliquorum adſcendentium & deſcendentium (*i*), inter hos vero atque transverſos (*k*) plenaria concretio arcuum omnium vertebrarum (*l*), exhibentur. Ut autem ſecundæ vertebræ ad ſeptimam usque proceſſus ſpinoſi (*m*) apice ſuo bifidi ſunt, ſic transverſorum omnium colli radices priores & poſteriores, earum, relictis foraminibus, cohæſiones, & foramina pro exitu nervorum in hac figura non deſunt, ſinusque apparent, & in corporibus & in proceſſibus transverſis, duarum dorſi vertebrarum pro nexu coſtarum.

(*g*) Tab. V. Fig. 1. s.
(*h*) Tab. V. Fig. 1. r.
(*i*) Tab. V. Fig. 1. num. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.
(*k*) Tab. V. Fig. 1. t. v. x. z. β. δ. ι. ν.
(*l*) Tab. V. Fig. 1. s. u. w. y. α. γ. ε. κ.
(*m*) Tab. V. Fig. 1. num. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

De maxilla inferiore, in latere dextro, cum cranio firmiter concreta, aliaque ſimili vitio, in oppoſito latere, laborante.

Plenariam maxillæ inferioris cum ſuperiore in latere ſiniſtro concretionem olim deſcribens (*a*), morbum hunc, utpote a paucis (*b*) viſum, inter rariores eſſe referendum cenſui, & agnoverunt aſſerti hujus veritatem multi, qui vel objectum viderunt, vel icones datas (*c*) cum earum explicatione compararunt, doluerunt autem plurimi, figuras illas adeo parvas eſſe, ut, licet exactæ ſint, tamen omnes, quas ſubiit hocce cranium, mutationes non exhibeant eo modo, quo oculis easdem ſubjeciſſent, ſi ad naturalem magnitudinem eſſent factæ, rogaruntque, pararentur, & in lucem emitterentur tales.

Cum

(*a*) Obſervat. Anatom. Patholog. lib. 1. cap. 7.

(*b*) Exempla, quæ memorarunt Columbus, Euſtachius, Connor, Palfyn adduxi ib. pag. 98. & his poſtea Rondeletii, Itineratorum Anglorum obſervata addidi Lib. 2. cap. 6. pag. 117. not. k.

(*c*) Obſervat. cit. Tab. VI. Fig. 1. 2. 3. 4.

Digitized by Google

Cum nunc in edendis morboſorum oſſium rarioribus exemplis occupatus ſum, curavi, ut accuratiſſimæ dicti cranii icones pararentur ad naturalem magnitudinem, tot quidem, quot antea in lucem emiſi. Hæ vero cum a dexterrimo artifice eſſent confectæ, ab ornatiſſimo van Doeveren, Medicinæ omni ſtudio atque diligentia operam navanti, honoratiſſimi olim collegæ digniſſimo filio, intellexi, ſibi ſimile vitium, ſed in oppoſito latere, ad manus veniſſe, & cranii uſum, mihi, ut delinearetur, deſcribereturque, quam humaniſſime conceſſit. Hoc pacto rariſſimi morbi duo exempla nactus, utrumque in lucem emittere viſum eſt, & illius, quod nondum deſcripſi, tres, alterius vero duas tantum dare icones.

Cranium, cui maxilla in latere dextro accreta eſt, non adeo multum peculiare habet (*d*). Suturæ adſunt omnes, ſagittalis in ſummo vertice, coronalis in lateribus, inceperunt obliterari. Glabella & ſuperciliorum arcus prominent inſigniter, tum vero depreſſa frons eſt. A foraminibus, per quæ nervi frontales transire ſolent, ſulci admodum profundi retrorſum per os frontis, ferme ad ſu-

(*d*) Tab. V. Fig. 2.

Digitized by Google

ſuturam coronalem ſeſe extendunt. Oculorum interiora, ut & narium, temporis injuria magnam partem ſunt deſtructa, hoc vero in figuris exhibere non placuit. In oſſe verticis utriusque lateris prope ſuturam ſagittalem foramen abeſt, ſed unicum majus in ipſa ſutura datur. Inciſura, a latere interiore proceſſus mammillaris ſiniſtri, unde Biventer oritur, multo major, profundior, quam in oppoſito latere. In maxilla ſuperiori alveoli ferme omnes ſunt deſtructi (*e*), unica ſolummodo dentis radix ſupereſt, &, ubi dentes poſteriores, molares, olim adfuerunt, alveolaris margo totus periit. Præcipue vero mutata maxilla inferior. Figura ipſius a naturali recedit, multo minor ipſius pars dextra (*f*), quam ſiniſtra (*g*), & diſtantia, quæ eſt inter angulum ipſius dextrum, & tuberculum illud, quod eſt a parte interiore menti (*h*), inſigniter ſuperatur ab eadem diſtantia in oppoſito latere. Alveoli (*i*) maximam partem deſtructi ſunt, periitque plenarie in latere dex-

(*e*) Tab. VI. Fig. 1. a. a. Fig. 2. a

(*f*) Tab. V. Fig. 2. h. Tab. VI. Fig. 1. f. c. Fig. 2. e. b.

(*g*) Tab. VI. Fig. 1. g. c. Fig. 2. f. b.

(*h*) Tab. VI. Fig. 2. g.

(*i*) Tab. VI. Fig. 1. b. b.

Digitized by Google

dextro marginis alveolaris pars poſterior. Foramen pro ramo tertii rami quinti paris in ſiniſtro latere multo major (*k*), quam in dextro (*l*). Latior pars lateralis dextra, ab angulo ſurſum ad os temporis tendens (*m*), ab inferiore deſinit in proceſſum vel mucronem, reliqua maxilla magis deſcendentem, & extrorſum incurvatum (*n*). Pars eadem in oppoſito latere ſimili ſeſe modo habet, ſed, prout latitudine alteri cedit, ſic & proceſſus dictus non adeo inſignis eſt (*o*). Condylus ſiniſter (*p*) ſolito in ſinu oſſis temporis ad radicem proceſſus zygomatici invenitur, non autem ipſi firmiter appreſſus eſt, parum potius ab eo diſtat; forma ipſius naturalis eſt, ſi excipio, quod paulo minor ſit, & aliam obliquitatem habeat. Diſtantia, quæ inter hoc capitulum & proceſſum coronoïdeum datur, multo minor eſt, nec adeo ſinuata; dictus autem proceſſus jugo firmiter apprimitur. In oppoſito, dextro, latere duo illi proceſſus omni modo difformes ſunt. Latitudinem & craſſitiem acquiſivit inſignem condylus

(*k*) Tab. VI. Fig. 1. c.
(*l*) Tab. V. Fig. 1. i. Tab. VI. Fig. 1. d.
(*m*) Tab. V. Fig. 2. h. f. g.
(*n*) Tab. V. Fig. 2. k. Tab. VI. Fig. 2. c.
(*o*) Tab. VI. Fig. 1. g.
(*p*) Tab VI. Fig. 2. f.

Digitized by Google

lus (*q*), qui cum temporis oſſe confluxit, & a meatu auditorio ferme ad nexum proceſſus zygomatici oſſis temporis cum oſſe jugali (*r*) concrevit & cum ſuo ſinu, & cum tuberculo, ante illum ſinum obvio, & cum vicinis, ſic ut inæqualitates ab exteriore conſpiciantur multæ, nec pauciores ab interiore, ubi una præcipue maxime notabilis & craſſa eſt, quæ ſeſe extendit & ad foramen caroticum, & ad illud ovale, per quod tertius ramus quinti paris nervorum cranio exit, a quibus condylus multum diſtare ſolet, ut in oppoſito latere apparet. Os temporis dictis in partibus etiam videtur mutatum, nec improbabile & hoc os & condylum maxillæ fuiſſe violentiam paſſa, atque utrumque os degeneratum in ſe eſſe confuſum. Cum jam condylus tantam amplitudinem acquiſivit, proceſſum coronoïdeum adtingit; hic autem a radice ad apicem ultra pollicem longus (*s*), a poſteriore tenuior, ab anteriore notabilem craſſitiem habens, ſeſe pone Zygoma (*t*) ad inſignem altitudinem extendit.

In

(*q*) Tab. V. Fig. 2. f. g. Tab. VI. Fig. 2. e. e. e.

(*r*) Tab. V. Fig. 2. prope g. inf.

(*s*) Tab. V. Fig. 2. g. g.

(*t*) Tab. V. Fig. 2. a. c.

Digitized by Google

In altero cranio, cujus maxilla, in oppoſito ſeu ſiniſtro latere, cum ſinu, in quo cæterum movetur, penitus concreta eſt, & quod olim jam deſcripſi (*u*), maxilla illa ſic ſiniſtrorſum dimota eſt, ut linea ab apice menti (*v*) ſurſum producta incurrat in lunulam, qua proceſſus naſalis, de maxilla ſuperiori adſurgens, narium aperturam anteriorem in latere ſiniſtro terminat (*w*). Alveoli, ut in ſuperiori (*x*), ſic in inferiori (*y*), maximam partem vel penitus deleti. Dentes duo molares (*z*) in ſuperiori maxilla ſuperſunt, & hi, antrorſum ac ſiniſtrorſum promoti, concurrunt totidem maxillæ inferioris (*a*) tali modo, ut alter alterum excipiat, & viciſſim ab altero excipiatur; præter hos unicus adeſt in latere dextro (*b*), & in ſiniſtro latere pars coronæ dentis molaris, maximam partem intra maxillam adhuc deliteſcentis, conſpicitur. Maxilla, in latere dextro compres-

(*u*) Obſervat. Anatom. Pathologic. Lib. 1. cap. 7. pag. 102. & ſeq.

(*v*) Tab. VII. Fig. 1. l.

(*w*) Tab. VII. Fig. 1. b.

(*x*) Tab. VII. Fig. 1. a. a. Fig. 2. a. a.

(*y*) Tab. VII. Fig. 1. k. k.

(*z*) Tab. VII. Fig. 1. d. e. Fig. 2. b. c.

(*a*) Tab. VII. Fig. 1. f. g. Fig. 2. b. c.

(*b*) Tab. VII. Fig. 1. h.

Digitized by Google

preſſa, ab inferiore extrorſum multum incurvata, proceſſu ſuo articulari libere committitur cum ſinu oſſis temporis, ſic tamen ut tuberculo, ante ſinum inveniendo, magis apprimatur, a meatu auditorio multum recedat, tangat vero radicem proceſſus zygomatici. In ſiniſtro latere ramus (*c*), ab angulo inferiore adſcendens, multo latior eſt, quam in latere oppoſito, & inferiore ſua parte multum extrorſum promovetur. Maxime autem mutatum eſt capitulum, articulationi deſtinatum; hoc enim tum per longitudinem tum intra partem priorem & poſteriorem inſigniter lateſcit, ſic ut ſinus lunatus, cæterum inter hunc & priorem proceſſum inveniendus, fere totus deletus, & foramen auris maximopere anguſtatum ſit; præterea concrevit non tantum cum illa parte oſſis temporis, cum qua mobiliſſimo articulo necti debet, verum etiam cum vicina parte proceſſus lateralis oſſis multiformis, quæ ſeſe inter partem ſquammoſam & petroſam inſerere ſolet (*d*). Proceſſus prior, inſigniter etiam craſſus, zygoma ſubit,

(*c*) Tab. VII. Fig. 1. n. o. o. k.

(*d*) Tab. VII. Fig. 1. o. o. Fig. 2. h. h. h.

bit, ſed parti ſquammoſæ oſſis temporis ferme appreſſus eſt (*e*), dum in dextro latere multum ab eo recedit. Ex interiore parte maxillæ hujus dextro in latere, ubi tertius & quartus dens molaris antea adfuerunt, inſignis exoſtoſis procrevit, rotundula, retrorſum incurvata (*f*). Similis ex interiore parte menti, tenuior, acutior, enata eſt (*g*).

(*e*) Tab. VII. Fig. 1. p. 2. k.
(*f*) Tab. VII. Fig. 1. i. Fig. (*g*) Tab. VII. Fig. 2. i.

CAPUT SEXTUM.

De cephalopharyngeo muſculo, alioque ſupernumerario in cervice viſo.

Muſculos, qui rarius obvenire ſolent, appendicis inſtar, ad deſcriptionem meam muſculorum, enumerans (*a*), de Cephalopharyngeo, ab aliis obſervato, pariter mentionem feci (*b*), ad illud usque tempus autem talis mihi obvenerat nunquam. Poſtea vero & ipſe ſimilem conſpexi in utro-

(*a*) Exercitat. Academ. lib. 1. cap. 6. pag. 78.
(*b*) Ibid. pag. 80. 81. 82.

Digitized by Google

utroque latere in cadavere viri admodum robuſti, in ſiniſtro tamen multo magis deſcendentem, quam in dextro. Originem trahebat quisque a baſi cranii, a latere pharyngis, mox ſeſe pharyngi adplicabat, & juxta conſtrictorem ſuperiorem mediumque, illis celluloſæ ope nexus, progrediebatur, ſenſim deſcendendo tenuior factus. Ad inferiorem conſtrictorem ubi pervenerant, arcuatam acquirebant formam, & adſcendentes fibræ in mediam pharyngis partem deſinebant.

Regio muſculorum decima atque nona, dorſum nempe cum lumborum parte poſteriore & cervice (*c*), multos continet, eosque maxime intricatos, in quibus varietates, quo ad ortum, inſertionem, numerum capitum atque caudarum, frequentiſſimæ ſunt, an autem talis, qualem in cadavere robuſtiſſimi viri, initio anni 1784. vidi, antea obſervatus ſit musculus, dubito. Cucullari penitus ſublato, inter hunc atque ſplenium capitis, mox, in utroque latere, in conſpectum veniebat, a ſuperiore parte dorſi ferme ad caput arcuata forma pro-

(*c*) Deſcript. Muſculor. pag. 178.

Digitized by Google

procedens. Spinoſi proceſſus infimæ cervicis & ſupremæ dorſi vertebræ ortum præbebant duobus tendinibus, cito confluentibus, & carnem, digitum transverſum latam, conſtituentibus; fibræ, primo vix adſcendentes, ſed potius transverſim incedentes, ad latus cervicis progrediebantur, tum vero adſcendebant, & forma arcuata atlantem petebant, cujus proceſſui transverſo infigebantur.

CAPUT SEPTIMUM.

De laryngis, aſperæ arteriæ, vaſorum, viſcerumque degenerationibus nonnullis.

Quamvis in Obſervationibus Anatomico-pathologicis partium, de quibus hoc capite dicendum eſt, deviationes varias, a me viſas, communicaverim, non tamen displicebit, aut ſua carebit utilitate, ſi eas, quas poſtea obſervavi, brevibus enarrem.

Maxima laryngis cartilago, ſcutiformis, duobus ex planis, ad angulum obtuſum confluentibus, compoſita, mediâ eaque ſuperiore parte exſecta, in

Digitized by Google

in lateribus, & a ſuperiore & ab inferiore, duos habet proceſſus, cum vicinis partibus nectendos. Superiores admittunt ligamenta, ad apices obtuſos, in quos cornua oſſis hyoïdis deſinunt, tendentia. Hos penitus abſuiſſe vidi, ſic ut duo plana in quoque laterali & ſuperiore parte rotundulo margine deſinerent, & præter membranam, qualis de reliqua parte ſuperiore thyreoïdeæ in os hyoïdes tendit, nil hic adeſſet, quod partes connecteret. In ejuſdem cartilaginis utroque plano foramen aderat ſatis inſigne, per quod vaſa progrediebantur, quale & in aliis cadaveribus animadverti (*a*).

Ut olim totum laryngem oſſeum vidi (*b*), ſic poſtea nunc hanc, nunc illam cartilaginem, præcipue thyreoïdeam & cricoïdeam, vel totam, vel pro parte, in os mutatam demonſtravi.

Ex larynge enata trachea conſtanter in duos ramos finditur, bronchos dicunt; aſt in cadavere mu-

(*a*) Non abſque exemplo eſt, etſi rarius, in his tabulis ſuperius, anterius, non longe ab angulo plano, foramen fuiſſe, per quod arteria ad interiora laryngis fertur. Haller Elem. Phyſiol. Tom. 3. pag. 369.

(*b*) Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 3. pag. 43.

Digitized by Google

mulieris, anno 1783. publice diſſecto, &, anno inſequenti, in cadavere viri, diſtinctos tres obſervavi ramos. In utroque aſpera arteria dividebatur in latere dextro in ramos duos, in ſiniſtro in unum. Dextrorum alter adſcendebat, & pulmonis partem ſuperiorem petebat, alter deſcendebat, & per inferiora pulmonis ſeſe diſtribuebat.

Arteriæ, ex arcu aörtæ prodeuntes, viſæ ſunt quatuor, vertebrali ſiniſtra originem ex ipſo trahente: in duobus aliis corporibus adfuere ſolummodo duæ, trunco innominato in ſubclaviam dextram, carotidem dextram, & ſiniſtram fiſſo (*c*).

Vena azygos duplex adfuit, hoc pacto, quod ſiniſtra cum dextra per medium ramum, ad ſextam dorſi vertebram, communicaret, omnemque, quem & a ſuperioribus & ab inferioribus partibus acceperat, ſanguinem, ipſi traderet, venæ cavæ infundendam (*d*). In cadavere infantis ve-

(*c*) Obſervat. cit. Lib. I. pag. 78. 79. not. c. Lib. IV. pag. 92.
(*d*) Ibid. Lib. II. pag. 126. & not. b. Lib. IV. pag. 12. 16. not. r. 97. Exercitat. Academ. Lib. I. pag. 103. 112.

Digitized by Google

venæ intercoſtales omnes ſiniſtri lateris pariter confluebant in truncum, a ſiniſtro latere ſpinæ decurrentem, ſed hic cum trunco dextri lateris per tres transverſos ramos, non admodum diſtantes, conjungebatur.

Adeo frequenter occurrit pulmonum cum pleuris concretio (*e*), ut ſæpe vix adtendatur. Meretur autem ſine dubio notari, viſam a me fuiſſe plenariam pulmonis dextri cum pleura concretionem in cadavere neonati infantis. Pulmo videbatur ſaniſſimus, illum autem a pleura ſeparare, non poſſibile fuit, quæcunque prudentia adhibebatur, &, quando hoc tentavi, pleura ſimul a ſpatiis intercoſtalibus, atque a coſtis ſeceſſit.

Qualem antea deſcripſi cordis & pericardii concretionem (*f*), talem etiam anno 1784. in cadavere mulieris vidi, imo nexus adeo firmus erat, ut eum ſolvere non liceret, ſed fibræ cordis inſigniter diſtraherentur, ab anteriore enim & poſteriore pericardium unam eandemque membranam

(*e*) Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. I. pag. 9. in not. pag. 42. not. g. g. pag. 44. 45. 46. Lib. III. pag. 83. not. c.

(*f*) Ibid. Lib. I. pag. 9. in not. pag. 43. Lib. IV. pag. 109.

Digitized by Google

nam conſtituebat cum illa, quæ cordi propria eſt; vaſa etiam libera non erant, quæ, ex baſi enata, aut ad eandem deſinentia, intra pericardium ſemper continentur, ſed & illis pericardium accreverat firmiſſime (*g*).

In eodem hocce corde foramen ovale apertum erat, quod eadem hyeme in tribus aliis cadaveribus vidi, imo in corde viri robuſtiſſimi adeo amplum demonſtravi, ut apicem medii digiti transmittere potuerim (*h*).

An a nativitate clauſum foramen ovale, accreta penitus ipſius margini valvula, iterum aperiri, vi disrumpi poteſt, & liberum ſanguini tranſitum con-

(*g*) Clar. Nebel in Progr. Giſſæ Haſſorum 1778. edito, Obſervationem de pericardio cum corde concreto propoſuit. „Aperto thorace cadaveris viri, quinquaginta circiter annorum, pulmones ſoluti prorſus, nec ullo modo cum pleura concreti inveniebantur; pericardium vero non tantum quoad inferiorem ſui partem cum diaphragmate firmiſſime cohærebat, ſed integrum etiam, & quoad omnes partes arctiſſime & ita adnatum erat cordi, ut cum fibris ipſius carneam unam eandemque ſubſtantiam conſtituere atque ab iis nunquam ſejunctum fuiſſe videretur. Separatio ipſius a corde tantum non prorſus impoſſibilis erat, cum vix tenuiſſimam aliquam celluloſam animadvertere liceret".

(*h*) Conf. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. I. pag. 22. 29. 47. Lib. III. pag. 84. [illegible]o. Lib. IV. pag. 55. 59.

Digitized by Google

concedere? Sic viſum eſt Clar. Taccono, qui, hanc ſuam conjecturam ut probabilem redderet, cum Bononienſi ſcientiarum & artium Academia (†) obſervationem communicavit, dignam, cujus epitomen Lectori offeram, præcipue cum in ea, de qua agit, puella nonnulla phænomena ſeſe manifeſtarunt, quæ ad illuſtrationem rariſſimi cordis vitii, a me deſcripti (*), inſervire poſſunt. Puella, annos circiter quindecim nata, greſſum habebat tardiſſimum, adeoque difficilem, ut tertio quoque paſſu conſiſtere cogeretur. Ejus manus, ungues potisſimum, brachia, facies, labia, oculorum album, mirum in modum livida erant. Fortem percipiebat, nec unquam intermittentem, in ſiniſtra pectoris parte pulſationem, incredibilem inſuper artuum membrorumque omnium imbecillitatem. Victu uti non potuit, niſi tenui & fere liquido, ægre deglutire; alvo plerumque adſtrictiore laborabat: ſlante borea, & ſæviente hieme, tam male eſſe ſolebat, ut non raro opprimi & pene mori ſibi

(†) De Bononienſi ſcientiarum atque artium inſtituto atque Academia Tom. 6. pag. 64. ſeq.

(*) Obſervat. Anatom. Patholog. lib. 1. pag. 10. ſeq. Lib. III. pag. 16. 17. Lib. IV. pag. 106.

Digitized by Google

ſibi ipſa videretur. Vox dicentis parva valde erat & fracta, pulſus languidus, & frequens. Carebat menſibus, & habitu ſemper fuerat gracili & bilioſo. In morbum hunc, qui deinceps gravior in dies evaſerat, tum primum incidit, cum, annum ſuæ ætatis quintum agens, ingenti ab altitudine lapſa, vehementisſimo terrore oppreſſa fuit. Ad tres ferme annos in eo ſtatu, in quo eam primum invenit Tacconus, duravit ægra; nunquam ſpes ulla ſalutis affulgebat quin etiam res in pejus ruere ſubinde videbantur. Sed, quod majorem viſus eſt habere admirationem, cum toto hoc tempore, & quotidie eam videre conſueverit Tacconus, & perſæpe alloqui, nullum tamen notabile reſpirationis ſignum in illa deprehendere unquam potuit; quamvis enim oculi aciem intenderet, alterni vel in naribus, vel in pectore, vel in ventre motus ne umbram quidem ei datum eſt detegere. Denique per hiemen, ſudo cœlo, tempeſtate frigidisſima, dolorem in ſiniſtro latere conqueri, tum nigrum, viſcoſumque ſanguinem per os, conatu cæteroquin nullo, nullaque tusſi emittere cœpit. Non deſtitit tamen victum de more quæritare in via. Vox interea abrupta

erat, & ſolito debilior, vires, ſupra quam dici poteſt, fractæ. Vitam ſic ad decimam usque & quartam diem toleraverat, cum e loco, ubi ſedere in via ſolebat, ut a prætereuntibus victum mendicaret, domum, quæ non valde diſtabat, rediens exſtincta eſt.

Proxima die cadaveris ſectionem inſtituens Tacconus, primo livorem faciëi, colli & manuum, toti corpori communem, invenit; deinde aperto abdomine molem notavit ventriculi, hepatis, & omenti ſolito majorem: diaphragma valde enervatum, atque una cum tenuium inteſtinorum parte in ſuperius thoracis cavum adactum erat; venæ vero omnes nigricantes, & ita pandæ, diſtentæque, ut earum propagines, etiam minimæ, ultro ſe proderent. Pulmones contracti, pene exſucci, tactui renitentes; ſiniſter vero lobus livido atroque colore tinctus, idemque in loco, quo lateris dolor extremis vitæ diebus inhæſerat, pleuræ validiſſime conjunctus. Tres circiter inventæ ſunt viſcoſi nigrique ſanguinis unciæ ſupra diaphragma ſparſæ, qui ſanguis depluiſſe videbatur a mediaſtino & pleura, quoniam hæc viſcera eodem rorabant; pars aliqua etiam reperta eſt intra tracheam.

Digitized by Google

cheam. Verum res ante alias maxime mirabilis viſa eſt cordis fabrica. Ejusdem fere amplitudinis ad mucronem ac ad baſim cor non conicæ, ut ſolet, ſed quaſi cubicæ erat figuræ. Siniſter ventriculus latior formam habebat, quæ eſſe conſuevit dexteri, dexter vero columnis lacertisque robuſtis ornatus eam, quæ ſiniſtri. Qui his ventriculis recondebatur ſanguis, viſcoſus pariter erat, aterque. Pulmonalis arteria valvulis ſigmoïdeis ſecum invicem conglutinatis, ita clauſa erat, ut injecta aqua non niſi per anguſtiſſimum foramen, quod forte ſubtile, ante immiſſum, ſpecillum fecerat, manaret: vena autem rugoſa reperta eſt, ſumme contracta, & ſanguine omnino vacua. Canalis arterioſus, quantum judicari potuit, clauſus erat; apertum autem foramen ovale, & hoc latius, quam in fœtu cernitur, patebat, præſertim qua parte dexterum ventriculum reſpiceret.

Non dubitabat Tacconus, quin foramen ovale tum apertum fuerit, cum in lapſu puella maximo terrore correpta fuit. Conſtat, ut dicit, & ſanguinem per terrorem in cor magno impetu congeri, & facile in pueris fortes longasque inſpi-

Digitized by Google

ſpirationes, quales habuiſſe puellam ſub eum caſum credibile eſt, foramen ovale jam occluſum iterum patefacere; eo autem patefacto, minor ſtatim ſanguinis copia ad pulmonalem arteriam dirigi debuit, ex quo non difficile factu fuit, ut ſenſim ſigmoïdeæ valvulæ coïrent. Sic ſanguis, a pulmonibus denique prohibitus, nec reſpirationem fovere amplius potuit, nec ipſe apte ſubigi, ergo & illam pene deleri, & ipſum denſum atrumque eſſe oportuit. Ut autem cum reſpiratione vox ſimul infringi debuit, ita cum nova ſanguinei circuitus ratione nova cordis forma convenire. Itaque minime mirum, ſi huic muſculo paulatim natura ſupra dictam ſtructuram conciliavit. Ex dilatato ventriculo ſiniſtro aneuryſmatis inſtar, nata pulſatio, qua ægra conſtanter in ſiniſtro latere vexabatur. Relaxatis denique propter ſanguinis tarditatem muſculis, facile & virium infractio ſequuta eſt, & diaphragma ſe intra thoracis cavum incurvavit, locum abdominis viſceribus concedens, quæ ex humorum craſſitudine turgidiora fiebant. Reſes vero propter eandem tarditatem in minimis vaſis ſanguis, & livorem in exterioribus partibus corporis procreare de-

Digitized by Google

debebat, & efficere, ut eadem minora vaſa ſæviente frigore tandem disrumperentur, ſanguinemque funderent, qui vel ex ore mittebatur paulo antequam ægra occumberet, vel poſt ejus obitum in thoracis cavo repertus eſt.

Cuncta hæc ſano ratiocinio ex ſymptomatibus, in ægra viſis, ex abſentia eorumdem, ante lapſum indeque natum terrorem, ex viſis in cadavere, deduci poſſe videntur, ſic ut Tacconi conjectura non improbabilis reddatur, attamen ſæpius a nativitate apertam remanere dictam viam, quam quod antea clauſa iterum aperiatur, probari videtur ex eo, quod toties ovale foramen apertum detegatur, absque ut, vivente homine, vel ullum ex dictis ſymptoma obſervatum, vel aliud quoddam vitium in corde vaſisque viſum fuerit.

Poſtquam, in cadavere viri, ſitum partium omnium in collo, thorace, a parte poſteriore demonſtraveram; ac diaphragmatis faciem poſteriorem, renum ſitum, peritonæum exhibueram, ligatis ſublatisque vaſis, quæ pone peritonæum decurrunt, & originem præbent illis, quæ viſceribus, illo ſacco incluſis, proſpiciunt, aperto

Digitized by Google

peritonæo, ſurſumque reflexa parte utraque laterali diaphragmatis, ſitus plane inſolitus inteſtinorum viſus eſt. Hoc in adſpectu in dextro latere maxima hepatis pars, in ſiniſtro lien, medio loco ventriculus, ſeſe exhibere ſolent, qui ſacco ſuo cœco ſiniſtrum diaphragmatis latus attingit, & juxta cujus partem anteriorem ſuperiorem, œſophago vicinam, lobus ſiniſter tenuior hepatis ſeſe extendit, ſic ut in eo parva etiam excíſio conſpiciatur, juxta quam deſcendit œſophagus (*i*): verum hoc in corpore ſiniſtrum latus occupabat, diaphragma attingebat, lienemque multum dimoverat pars coli maxime expanſa. Inquirens in verum ſitum hujus inteſtini, ſublatis parumper quæ impedimento erant, vidi colon, in dextro latere juxta renem adſcendens, juxta hepar ad diaphragma tendere, ante œſophagum ſupra ventriculum ad latus ſiniſtrum vergere, inde iterum ad œſophagum progredi, & ante ventriculum deſcendens obliquo ductu latus ſiniſtrum & os ilium petere. Anterior hinc omenti lamella a colo, poſterior a ventriculo oriebatur. Oeſophagus ſolito

(*i*) Conf. Tab. Inteſtini duodeni IV & V.

Digitized by Google

to longior deſcendebat ad ventriculum, maxime depulſum. Si abdomen ab anteriore fuiſſet apertum, de ventriculo nihil eſſet animadverſum, hepar enim & lien, ſibi plane contigua, totam hancce partem, ultra umbilicum, occupabant (*k*).

Uterus, in cadavere junioris fœminæ, iterum per pſeudomembranas adeo firmiter erat accretus parti laterali ſiniſtræ pelvis, ut loco moveri non potuerit (*l*).

Ut alia occaſione polypoſorum tumorum, qui in cavo uteri ſuboriuntur, primordia viſa & deſcripta ſunt (*m*); ſic hoc in corpore minimum initium eorum, qui extrinſecus matrici accreſcunt, ſeſe monſtrabat; duplex quippe tumor ſeu tuberculum, in duo alia, quorum quodque piſum magnitudine referebat, diviſum, parti poſteriori uteri adhærebat ope tenuis pedunculi (*n*).

CA-

(*k*) Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. IV. pag. 28. 46. not. pag. 56. 60. not. o. Exercitat. Academ. Lib. I. pag. 106. not. l.

(*l*) Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. I. pag. 61. Lib. II. pag. 58. 59. 61. Exercitat. Academ. Lib. I. pag. 101.

(*m*) Obſervat. citat. Lib. 2. pag. 60. Exercitat. Lib. I. pag. 102.

(*n*) Obſervat. citat. Lib. I. pag. 106. Lib. IV. pag. 113.

Digitized by Google

CAPUT OCTAVUM.

De hepate maximo, ponderoſiſſimo, ſteatomatoſo, in cadavere icterici obſervato; alioque inſignem abſceſſum recondente.

Cum icterus ſemper ſupponit vel impeditam ſecretionem bilis a ſanguine venæ portarum, vel impedimentum tollens liberum exitum bilis ſecretæ in duodenum, minime mirum, ſedem hujus mali præcipuam in hepate eſſe, & hocce viſcus plus minus affici, ſæpe tantopere, ut, vel deſtructa vel penitus mutata ipſius fabrica, huic inſervire functioni neutiquam poſſit, & icterus non tantum pertinaciſſimus, ſed omnino incurabilis ſit. Locum hoc etiam habuiſſe in cadavere, cujus examen inſtitui, ex data deſcriptione patebit, quippe quod talem hepatis degenerationem exhibuit, qualis raro obſervari ſolet.

Quo morbo homo, cujus cadaver inter multa alia ante biennium ad Theatrum Anatomicum delatum eſt, laboraverat, dubium ſupereſſe nullum potuit. Flavus totius, maxime emaciati, corporis, oculorum præcipue, color, tumidum abdomen,

Digitized by Google

men, duriſſimum hypochondrium dextrum, abunde probabant, bilis officinam læſam, ſecretionem ipſius impeditam fuiſſe, repulſionem in maſſam ſanguineam habuiſſe locum. Abdomen præcipue adfectum erat, &, aquæ copia diſtentum, hacque de cauſa in regione inferiore multum expanſum, in latere dextro magnam exhibebat & protuberantiam & duritiem. Margo thoracis dexter magis prominebat, quam ſiniſter, & eundem ex cauſa interna extrorſum protrudi, renitens, & compreſſioni reſiſtens, oſtendebat durities. Tumorem autem, intus latentem, ab hepate degenerato produci, tactus non ſolum, ſed & viſus, confirmabat; infra marginem enim thoracis tumor idem ejusdem duritiëi deſcendebat ad umbilicum, quin & ultra eundem, & ad criſtam oſſis ilei, implebatque totum latus dextrum abdominis.

Apertum abdomen exhibuit primo inſignem flaveſcentis aquæ quantitatem; membrana, cavum ipſius inveſtiens, flavo pariter colore tincta erat, & ad hunc etiam accedebant inteſtina. Hæc autem naturalem reliquerant locum, cedere coacta hepati, cujus moles, durities, pondus, inſigniter

Digitized by Google

ter a ſano recedebant ſtatu. Extendebat ſeſe quippe ſiniſtrorſum, deorſumque, ut ad magnam ultra umbilicum diſtantiam pertingeret, non tantum inferiora, ſed & ſiniſteriora verſus, ſic ut de ventriculo & inteſtinis vix quicquam conſpici potuerit, & hæ partes maxime comprimerentur. Ab inferiore non tantum adtingebat marginem dicti oſſis ilei, verum intra eundem ad pelvim deſcendebat. Externa ſuperficies maxime inæquabilis erat propter varia, majora, minora, flavi coloris tubercula. Ubi œſophagus, juxta ſulcum, prope finem ſiniſtrum hepatis ſemper obvium, deſcendit, non tantum canalis hic firmiter cum hepate concreverat, verum externæ ipſius parti, multum degeneratæ, induratæ, ferme cartilagineæ, accumbebat abſceſſus, materie amurcoſa, griſea, fœtidiſſima repletus, & profunde in ſubſtantiam hepatis penetrans.

Liberatum hepar ab omni nexu, qui in parte inferiore præcipue admodum firmus erat, figuram monſtrabat inſolitam, cum non tantum verſus exteriora, ſed & verſus interiora multum intumuerat, ſic ut, qua parte ventriculum, duodenum, reſpicit, gibbam figuram haberet. Pondus ipſius

erat

erat decem librarum, longitudo vel altitudo in latere dextro undecim pollicum, in ſiniſtro novem, latitudo undecim pollicum, & craſſities inter partem, ſpinæ accumbentem, & partem, coſtis appreſſam, quinque. Quantopere itaque hoc ſenſu a naturali receſſerit ſtatu, comparatio cum ſano hepate abunde docet; ſed & alio vitio laborabat. Dicta enim tubercula non tantum in exteriore apparebant ſuperficie, ſed & in interiore, imo intrinſecus in ipſa ſubſtantia hujus visceris ejusdem naturæ tumores conſpiciebantur. Omnes materiam ſpiſſam, flavam, continebant, illi, quæ in ſteatomate obſervari ſolet, non abſimilem, in aliis hæc ſubſtantia compactior, in aliis fluidior erat, & in paucis purulenti quid intus hærere videbatur. Veſicula fellea parum bilis continebat.

Membranæ aliorum cavorum flavum etiam colorem habebant, & hic in omnibus ferme prævalebat partibus. In capite nil præternaturale viſum. In thorace, qui præter modum erat compreſſus, & hinc aliam habebat figuram, quam in viro ſolet, etiam vix quicquam notatu dignum animadverſum eſt, niſi quod in ſuperficie ventriculi ante-

terioris cordis parva ſuppuratio aderat; dextra cavitas admodum anguſta erat, & diaphragma ad inſignem adſcendebat altitudinem ob tumidum, & æque ſuperiora, ac inferiora verſus, promotum, hepar.

In cadavere viri, paucos ante menſes, hepar pariter inſignis voluminis, ſed alia de cauſa, obſervavi. Emaciatum erat totum corpus, ſed nulla icteri ſigna animadvertebantur; aperto abdomine bilis officina, multum ultra marginem thoracis extenſa, in latere dextro craſſiſſima, admodum rubicunda, conſpiciebatur. Veſicula fellis, interiori ipſius parti adhærens, vix bilem continens, membranas ſolito craſſiores, albasque, offerebat, & non ordinarium, ſed talem potius, habitum habebat, qualem monſtrare ventriculi, veſicæ, aliorumque cavorum membranæ ſolent. Concava inferior poſteriorque hepatis pars præſertim intumuerant, & verſus pylorum renemque dextrum protuberantia aderat tantæ magnitudinis, & adeo tenſa, ut loco removere hoc viſcus non licuerit. Adhærebat firmiter diaphragmati in latere dextro, eique variis in locis accreverat. Exten-

Digitized by Google

tenderat ſeſe etiam multum ſurſum, & aperto thorace ad inſignem intra hoc cavum adſcendiſſe illud altitudinem, patuit. Pulmo hujus lateris pleuræ in parte laterali, & præcipue in parte inferiore, firmiter accreverat, totusque degeneratus collectiones purulentas recondebat. Liberatum ab omni nexu hepar pondus habuit octo librarum, tuncque conſtitit, mutatam maxime fuiſſe partem dextram, degenerationem ultra ligamentum latum, quod a latere ſiniſtro cartilaginis enſiformis erat, ſeſe non extendiſſe. In locis, maxime protuberantibus, non tamen durum admodum erat, ſed videbatur potius humorem quemdam continere, totusque ipſius habitus, cum in corpore adhuc cum ſolitis partibus cohærebat, præſentem abſceſſum indicare videbatur, nec fefellit inſtitutum examen; mox enim atque plaga ipſi infligebatur, prodiit inſignis puris craſſiſſimi, inodori, albi, copia, quæ tres etiam libras ſuperavit. Paucas lineas craſſa erat hepatis ſubſtantia, quæ abſceſſum circumdabat, & tota pars dextra illo ſic erat conſumta, ut cavum reconderet, caput infantis continendo aptum. In reliqua parte nullæ puris collectiones aderant, id ta-

 men

Digitized by Google

men peculiare viſum, quod circum circa ramos majores vaſorum, per integram hepatis hujus partem ſeſe diſtribuentium, purulenta etiam materies conſpiciebatur. Reliqua omnia viſcera in thorace & abdomine ſana videbantur: cerebri autem pia mater erat craſſiſſima, ſic ut, volſella prehenſa, a cerebro detrahi & ex omnibus ejus gyris, abſque ut rumperetur, ſolvi commode potuerit. Præcipue hoc locum habuit in latere ſiniſtro, & craſſities atque durities in dextro non erat adeo notabilis (*).

Non lubet memorare exempla hepatis maximi, olim quippe jam adducta (*a*), aut, ab aliis annotatas, hujus viſceris degenerationes, ſufficiat unicum memoraſſe caſum, quo confirmetur, etiamſi maxima degeneratio hepatis adſit, tamen non ſemper ictero affligi ægrum (*b*).

Bajulus, poſtquam grave admodum attulerat onus, ilico non levem ad lumbos moleſtiam ſenſit, qui

(*) Conf. de piæ matris degenerationibus Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. III. pag. 45. Lib. IV. pag. 54.

(*a*) Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. IV. pag. 9. 15. not.

(*b*) Morgagni de ſed. & cauſ. morb. Epiſt. 56. art. 25.

Digitized by Google

qui tunc biduum cubare cogebat, in reliquum autem tempus ita debilitabat, ut ne viginti quidem librarum pondus ſine incommodo attollere potuerit. Menſe interjecto, ſibi viſus eſt, dum in lectulo ſe converteret, aquæ in ventre agitationem audire, mox quoddam quaſi corpus percipere, quod ex hypogaſtrio in ſcrobiculum cordis adſcendens, ibique ſubſiſtens, initium faceret tumoris præduri, nec modici, quo ſimul & febricula afflictus, quinto menſe, ex quo grave illud onus ſuſtulerat, in noſocomium venit. — In ventre aqua tunc erat, tumor dicto in loco, & infra imas coſtas, præſertim dexteras, prædurus, nonnihil inæqualis, &, ſi premeres, doloris expers, nec pondere, nec dolore, nec tuſſi moleſtus. — Subpallida erat hominis facies, non flava, non lurida, ne album quidem oculorum ullo modo flaveſcebat. — In utrumque latus libere cubare potuit, ſpiritum ducebat incommode, nec tamen incommodiſſime. Placide demum obiit. Cadaveris examine inſtituto, ſequentia viſa ſunt. Venter multam effuſam aquam habuit, non graveolentam, non craſſam, pellucidam, vergentem ad eum colorem, quem in oleo amyg-

Digitized by Google

dalino videmus. Omentum, in hypochondrium ſiniſtrum retractum, integrum, ex ſubviridi fuſcum fuit. Ventriculus parvus & contractus. Lien duplo major, quam æquum eſſet, ſubalbus exterius, intus alba quædam habens, nec tamen dura. Hepar autem longe maximum, ut libras pendere ad quatuordecim judicaverint. Etſi non multum infra coſtas ſeſe extendebat, ventris univerſam regionem ſuperiorem, & proximam huic partem anterius occupabat; ſiniſtrorſum autem adeo excreverat, ut ſuſpenſorio ligamento, quod craſſum alioquin factum erat, plurimum in eam partem curvato, fiſſura umbilicalis ad ſiniſtrum latus eſſet cartilaginis enſiformis. Totum erat hepar durum, & extuberantibus maculis, digito pollice non anguſtioribus, paſſim diſtinctum, iisque ſubflavis, cætera pallidum. Hæc exterius. Interius autem, ſi paucas exciperes hic illic intermiſtas hepaticæ ſubſtantiæ portiones, totum viſcus conſtabat ex ſubſtantia, quæ non facilius poſſet, quam mammaria glandula, diſſecari; ea ex albo flaveſcebat, & preſſa, ichorem quaſi purulentum emittere videbatur. Cyſtis erat prorſus exigua.

Aliis etiam in caſibus ſteatomatibus plenum & maxi-

Digitized by Google

maximum hepar vidit Morgagni (*c*), & obſervata degenerati hepatis innumera pariter collegit Lieutaud (*d*).

(*c*) Lib. cit. Epiſt. 30. art. 14.
(*d*) Hiſtor. Anatom. Medic. Tom. I. pag. 134. ſeq.

CAPUT NONUM.

De fiſtuloſo pectoris ulcere.

Laborabat juvenis nobilis abſceſſu in pectore, cujus vera latebat cauſa, licet non improbabile videretur, ab injuria illata malum fuiſſe derivandum. Pus, abſceſſu contentum, viam ſibi per cellulosam parans, fiſtuloſum produxerat ulcus, quod os pectoris adficiebat, ad interiora ſeſe extendebat, & extrinſecus etiam, nunc per hæc nunc per illa loca ſeſe evacuabat, ſic ut plures aperturæ, totidem latentis fiſtulæ oſcula, conſpicerentur. Diverſis hac de cauſa, per multos annos, vexatus ſymptomatibus, & propoſitam medendi methodum, qua ad latentem abſceſſum via pararetur, admittere conſtanter recuſans, quia cauſa, vera ſedes, & extenſio mali latebant, quia

Digitized by Google

etiam felix ſucceſſus, licet probabilis, certo certius promitti non poterat, demum vitam cum morte commutavit.

Cadaveris, citiſſime in putredinem vergentis (licet aëris temperies non adeo ipſi favebat) abdomen maxime erat expanſum. Pectoris conformatio præternaturalis, præſertim a latere ſiniſtro, & ad partem inferiorem ſterni, quod partim intropreſſum erat, partim verſus exteriora in varia tubercula adſurgebat. Integumenta, multis in locis firmiter cum ſterno & coſtis lateris ſiniſtri concreta, præter cicatrices aperturarum, antea ſanatarum, offerebant tria orificia fiſtuloſa, quæ ad tertium ante mortem diem purulentam evacuaverant materiam, ſuperius horum erat ad ſuperiora thoracis, medium ad parvam infra mediam ſterni partem diſtantiam, tertium non longe ab inferiore parte ſterni. Separatis integumentis patebat, fiſtulam ſuperiorem ſupra cartilaginem coſtæ veræ quartæ ad interiora procedere oblique deorſum; ſecundam inter partem ſterni mediam & infimam penetrare in ſaccum, purulenta materie refertum, tertiam ſeſe extendere ad cavitatem, ſub incurvato & expanſo cartilaginum coſtarum

mar-

Digitized by Google

margine, hærentem. Cartilagines coſtarum ſeptimæ & octavæ dexteræ, admodum craſſæ, expanſæ, extrorſum inflexæ erant. A latere ſiniſtro quarta, quinta, ſexta, ſeptima, octava, & nona coſta intro preſſæ erant, ſic ut ferme rectæ esſent, & pectus complanatum; ſpatia hinc intercoſtalia ferme nulla erant, præſertim inter ſeptimam & octavam, ſic ut muſculorum intercoſtalium vix quicquam ſupereſſet; in oppoſito contra latere & ſpatia intercoſtalia, & muſculi, in iisdem obvii, propter majorem hujus lateris expanſionem, admodum lati erant: verbo, quia ſpina dorſi ſcolioſi laborabat, coſtæ omnes etiam illas ſubierant mutationes, quas hoc in morbo ſubire debent. Cartilagines dictarum coſtarum præter naturam breves, tenues. Septimæ, octavæ, nonæ, coſtæ ſiniſtræ cartilagines inſolito modo concreverant, & curvatæ erant. Cartilago ſeptimæ primo acutum formabat angulum verſus interiora, tum magno tubere multum prominebat ultra inferiorem partem ſterni, quare, vivente juvene, extrinſecus hoc in loco magna & dura ſeſe monſtraverat prominentia, cujus ope inferior ſterni pars, introrſum preſſa, & admodum extenua-

nuata erat. Mox atque coſtæ a cartilaginibus ſuis ſeparabantur, ut pectus aperiretur, præſertim cum ſeptima & octava attollebantur, purulenta exibat materies, & ſaccus detegebatur pone cartilaginem enſiformen, atque degeneratas ſiniſtri lateris coſtarum cartilagines. Sublato ſterno cum omnibus cartilaginibus, ipſi nexis, cavitas, pure plena, tota ſeſe oculis offerebat, a dextro latere ad ſiniſtrum ſeſe multum extendens, ab inferiore parte diaphragmate terminata, quod hac de cauſa multum induratum, incraſſatum, erat. Latus ſiniſtrum abſceſſus pericardium attingebat, & tenaci membrana cingebatur totus ſaccus. Communicabant cum hoc ſacco omnes fiſtulæ, ſupra deſcriptæ; harum autem nulla, aut ſaccus, ad interius thoracis cavum ſeſe exſtendebat. Pulmones erant ſani, parum cum pleuris concreti. Nil præternaturale in toto pectoris cavo detegebatur, præterquam quod in ſiniſtro latere parva rubellæ aquæ quantitas conſpiceretur. Ex abdomine, admodum tumido, fœtidiſſimus erumpebat aër, & mox atque vulnus ipſi erat inflictum, ſponte prorumpebant inteſtina. Omenti vix quicquam detegebatur. Tenuia & craſſa inteſtina erant inflamma-

ta,

ta, in nonnullis locis livida, gangrænoſa, aëre inſigniter expanſa. Maxime autem adfectum erat hepar; hoc enim cum diaphragmate, cujus ſubſtantia pariter cum maxime a naturali ſtatu recedebat, firmiter concretum, ubi abſceſſus huic muſculo adhærebat, unicam maſſam cum eo conſtituebat, totum autem corruptum, & in ſubſtantiam putridam, fœtidiſſimam, converſum erat. Bile aëreque admodum diſtenta erat fellis veſicula, & inter ipſius tunicas verum detegebatur emphyſema.

Supra jam dictum fuit, veram fiſtuloſi hujus ulceris cauſam nunquam rite fuiſſe detectam; ex omnibus autem iis, quæ anatome exhibuit, os pectoris violentiam quamdam externam fuiſſe paſſum; abſceſſum in mediaſtino ſeu pone pectoris os inter duas pleuras fuiſſe enatum; pus exitum ſibi quæſiviſſe, & inter partes ſterni, & per illud ipſum, non autem ſatis fuiſſe evacuatum, gravitate itaque ſua deſcendiſſe inter ſterni partem inferiorem & diaphragmatis portionem mediam, ſterno adhærentem, ſicque perveniſſe ad ſuperiorem & anteriorem abdominis partem, ubi ſeſe etiam pro parte evacuavit; partes illas, qui-

M bus

Digitized by Google

bus purulenta materies continuo accubuit, ſenſim eſſe mutatas, & tales ſubiiſſe degenerationes, quales ſemper oriuntur in circumferentia abſceſſus; hepar, inferiori parti diaphragmatis accumbens, ſimiliter fuiſſe mutatum, ſuppuratum, conſumtum; & ex horum omnium malorum confluxu totam corporis œconomiam tali mutatam fuiſſe modo, ut demum nobiliſſimo juveni fuerit ſuccumbendum.

Sed quæſtio moveri poteſt, an tali in caſu ars valeat omnino nihil? Si in tempore latens pone pectoris os abſceſſus cognoſcitur, (quem adeſſe, ſubortæ extrinſecus aperturæ fiſtuloſæ; major, quam quæ aperturis reſpondet, vel puris vel ichoris evacuati copia; enatas aperturas claudendi impoſſibilitas, aut, ſi forte fuerint ſanatæ, alia in vicinia enaſcens apertura, probabile reddunt), videntur talia in uſum vocari poſſe auxilia, quæ mala multa præcavent, immo ſanitatem adducunt.

Sanari ulcus nequit, niſi in vulnus purum mutetur, niſi ſeparetur & tollatur illa cruſta tenaciſſima, calloſa quaſi, quæ omnem ulceris ſuperficiem inveſtit, efficiaturque hoc pacto, ut ſanæ partes excreſcere, ulcus replere, abolere penitus

pos-

Digitized by Google

poſſint. Tale quid efficere non licet, niſi ad ulcus via paretur, ſed latet abſceſſus hoc in caſu pone ſternum, acceſſus ergo denegatur omnis, quamdiu ſterni pars ſublata non eſt, hoc ergo perforandum, trepano aperiendum, & imitanda curandi ratio, a Galeno (*a*) memorata; hæc enim,

(*a*) De Anatom. Admin. lib. 7. cap. 13. Oper. claſſe prima pag. 97. b. edit. nonæ apud Juntas. Hiſtoria hæcce eſt. „ Ictus puer in pectoris oſſe in palæſtra, neglectus primum eſt, dein parum probe curatus. Poſt menſes quatuor pus in parte percuſſa apparuit, hoc auferre cogitans medicus puerum incidit, &, ut putabat, ſubito ad cicatricem vulnus perduxit; poſtea rurſus inflammatio ſuborta eſt, mox quoque abſceſſus; iterum ſectus puer eſt, nec amplius cicatrix obduci potuit. Quapropter herus ipſius, plurimis medicis convocatis, inter quos Galenus quoque erat, deliberare ſuper curatione pueri juſſit. Cum autem ſideratio, quam Græci σφάκελον appellant, pectoris oſſis adfectus videretur omnibus, appareret autem & cordis a ſiniſtra ipſius parte motus, nemo adfectum os excidere audebat, quippe arbitrabantur, thoracis perforationem neceſſario futuram. Galenus vero, citra vocatam proprie a medicis perforationem adhibitam, pollicitus eſt, ſe exciſurum; de abſoluta vero curatione nihil promiſit, cum incertum eſſet, num aliquid ex iis, quæ pectoris oſſi ſubjacent, fuerit adfectum & quatenus adfectum. Itaque regione detecta amplius nihil in pectoris oſſe læſum apparuit, quam quod ab initio ſtatim viderant, quare etiam magis ad manus operationem venire eſt auſus, cum jam fines, quibus arteriæ & venæ ſubhæreſcunt, utrimque illæſi occurriſſent. Cum vero adfectum os ab eo potiſſimum loco excidiſſet, in quo talis pericardii vertex adnectitur, cumque nudum cor appareret

 (quip-

Digitized by Google

enim, ſi comparatur cum hiſtoria ſectionis, ſupra enarrata, quemque evincet, ex tali medendi methodo multum imo plurimum emolumenti, ſi non plenariam ſanationem, quando in tempore inſtitui potuiſſet, fuiſſe ſperandam, tanto magis, quoniam ipſa natura hanc ſibi viam ſubinde fecit; &, apertura in pectoris oſſe excitata, latentem ſub eo purulentam materiem evacuavit, aut, poſt ſuppuratam pleuritidem per loca intercoſtalia eandem emiſit; vidit tales caſus Ill. Swietenius (*b*), & ipſe bis in latere dextro poſt pleuritidem, ſuppu-

(quippe involucrum ipſius computruerat) ob hoc quidem haud bonam ſtatim ſpem de puero habebat; attamen in totum brevi temporis ſpatio perſanatus eſt: quod non accidiſſet, ſi nemo adfectum os abſcindere auſus fuiſſet.

(*b*) Juvenis, viginti annorum, poſt celerem curſum, ultra vires protractum, pleuritide corripiebatur, quam in initio neglexit, hinc in ſuppurationem abivit morbus cum magna pectoris oppreſſione. Trigeſimo quarto morbi die incepit ſputa purulenta, copioſa, educere, magna cum facilitate, & inſigni levamine quidem, ſed tamen dolor obtuſus manebat in pectore dextro, & coſtæ omnes illius lateris incipiebant eminere extrorſum, licet per triginta dies continuos quotidie multum puris rejiceret; accedebat diarrhœa multum debilitans, manebat febricula hectica, & totum corpus tabeſcebat. Pertæſus longi morbi miſer æger omnia remedia reſpuebat. Decimo autem menſe in medio ſterno tuber, apparuit, molle, nucem avellanam æquans, & in ambitu tumoris exeſi oſſis ſterni margines diſtincte digito tan-

Digitized by Google

puratione terminatam, ſubortam vidi in ſpatiis intercoſtalibus aperturam, ſatis amplam, ad ampliorem longe ſaccum ducentem, qui, cum capacitate pectoris nullam communicationem alens, undique tenaci membrana, ex pleura degenerata originem trahente, cinctus, quotidie magnam puris copiam effundebat, & a morte miſeros liberaverat, per multos poſtea annos ſuperſtites, absque ut tamen apertura clauderetur, aut pus ſeſe evacuare deſiſteret (c).

Talia præſtare, hoc pacto mortem avertere, natu-

tangi potuerunt; ſponte poſt paucos dies rumpebatur ille tumor, & ingens copia puris boni erupit: pergebat per octo menſes & ultra puris effluxus, adeo ut merito metueretur, tandem ſuccubiturum ægrum. Libram detergentis decocti cum melle roſarum una vice per ſiphonem injicere poterat chirurgus in cavum hunc ſaccum, nec penetrabat liquor injectus in cavum thoracis, ſed inter pleuram & coſtas videbatur hærere, & facile effluebat denuo per illam aperturam oſſis ſterni. Convaluit æger, ſenſim imminuta puris exeuntis copia, & vidit Swietenius illum, octo annis poſtea adhuc ſuperſtitem, & ſatis vegetum; manebat tamen foramen in ſterno apertum, & qnotidie aliquid puris exibat. Comment. in Aphor. Pract. Boerhavii Tom. 3. pag. 57. 58.

(c) Poſt externam læſionem ſimile quid locum habere ſequens Harvei obſervatio probabit. „ Nobiliſſimus adoleſcens, puer adhuc, ingens ex lapſu nactus erat infortunium, coſtarum nempe ſiniſtri lateris fracturam. Abſceſſus ſuppuratus magnam tabi quantitatem profuderat, ſaniesque diu ex ampliſſima cavitate ma-

Digitized by Google

natura, ſibi commiſſa, poteſt, ſed ſanationem talibus in caſibus perfectam adducere nequit, niſi ab arte juvetur. Mirum itaque non eſt, attentos medicos & chirurgos non ſolum naturam imitaſſe, ſed omnem moviſſe lapidem, ut eandem ſuperarent, non tantum in id incubuiſſe, ut pus evacuaretur libere, verum etiam ut ulcus depuraretur, nova increſcente carne adimpleretur, & tali ſanarentur modo miſeri, ut nil mali poſtea remanſerit. Doctum Clar. de la Martiniere commen-

manavit. Circa annum ætatis ſuæ decimum octavum aut nonum Londinum appulit vegetus, & aſpectu quoque habituque laudabili prædītus. Harveus tunc eundem examinavit, &, ablata lamella, quam tutelæ gratia adverſus ictus, aliasque injurias externas geſtabat, vidit ingentem pectoris cavitatem, in quam facile tres priores digitos una cum pollice immitteret, ſimulque in primo ejus ingreſſu partem carnoſam protuberantem, reciprocoque extrorſum introrſumque motu agitatam, deprehendit, manuque caute tractavit. Ulcus antiquum & per amplum, citra medici periti auxilium, miraculi inſtar ad ſanitatem perductum erat, parte interiore membrana veſtitum, & per marginis ambitum firma cute munitum. Pars carnoſa protuberans cordis conus erat, quem caro fungoſa excreſcens exterius, muniminis inſtar, obtegebat. Concamerationem iſtam, a ſubnaſcentibus ſordibus, adoleſcentis famulus injectionibus tepidis quotidie liberabat, laminamque imponebat, quo facto herus ſanus, & ad quælibet exercitia & itinera promtus, tuto & jucunde vitam degebat. De generatione animalium. pag. 108. 109.

mentarium (*d*) quicunque legit, maxime mirabitur in multis, exacte enarratis, caſibus, trepanationis ſterni fauſtiſſimos ſucceſſus, & hanc operationem in omni caſu, qui cum enarrato convenit, eſſe laudandam, optimosque ab illa ſperandos eſſe fructus, cenſebit.

(*d*) Memoir. de l'Acad. Royale de Chirurgie Tom. 4. pag. 545. ſeq.

CAPUT DECIMUM.

De Hydrope peritonæi.

Hydrops licet morbus frequentiſſimus ſit, non omnes tamen ipſius ſpecies æque ſæpe obſervantur, aut, ſi adſunt, rite cognoſcuntur, vel talibus concomitantur ſymptomatibus, quæ faciunt, ut vel peritiſſimi de natura morbi dubitent. Inter illas merito recenſeri debet Hydrops peritonæi, morbus, veteribus ignotus, & tam raro certis ſignis ſeſe manifeſtans, ut de exiſtentia ipſius dubitaverint nonnulli, tam raro ſeſe offerens, ut nec Valſalva nec Morgagni, indefeſſi illi cadaverum inciſores, ut ſedes & cauſas morborum inveſti-

Digitized by Google

veſtigarent, in eundem diſſecando inciderint unquam (*a*). Digniſſima hinc videtur memoratu ſectio cadaveris fœminæ, quæ per multos annos hac hydropis ſpecie laboraverat.

Quinquaginta circiter annos nata mulier, non diu poſt ultimum, eumque quintum, partum, qui ante octo annos inciderat, hydrope laborare incepit: ab aqua autem nullis remediis liberari potuit, hujus potius de tempore in tempus aucta quantitas, adeo ut ad paracentheſin confugere neceſſe fuerit; hac inſtituta, prodeunte inſigni aquæ admodum gelatinoſæ copia, multum levaminis percepit; intra biennium eadem repetenda fuit operatio, ac dein in dies aquæ quantitas ſic adaucta eſt, ut quarto quovis, dein tertio, menſe, facta apertura, ipſi exitus fuerit conciliandus. Mollius, emiſſa aqua, abdomen, tactu exploratum, varia tubercula, aliquo modo mobilia, offerebat, quæ, duriſſima, inæqualia, maximam producebant moleſtiam, quorum vera natura & ſedes latebat, quæ reſolvi, imminui, vel potentiſſimis hujus generis remediis, non potue-

(*a*) De ſed. & cauſ. morb. Epiſt. 38. art. 50.

Digitized by Google

tuerunt, ſed potius una cum aqua de tempore in tempus inſigniter increverunt, ſic ut nonnulla caput infantis, immo adulti etiam hominis, viderentur magnitudine æquare. Repetita octo annorum ſpatio ſepties & decies operatio, & hoc pacto eductæ ultra mille libræ aquæ, quæ ſemper ejusdem gelatinoſæ naturæ & flavi coloris fuit. Per totum illud temporis ſpatium, præter enormem ventris tumorem, gravitatem, inde natam difficiliorem reſpirationem, vix aliis ſymptomatibus vexata fuit; functiones primarum viarum juſto modo vigebant, de ſiti non adeo querebatur, urinam ſolita copia excernebat. Corpus tamen de tempore in tempus emaciabatur, & vires demum ſic imminutæ ſunt, ut oneri cedere debuerit, & vitam cum morte commutaverit.

Cum de natura & vera ſede tumorum non unanimis fuerat opinio eorum, quorum conſilium imploraverat maritus, me, qui tamen ægram viventem nunquam examinaveram, rogavit, vellem in cadavere in naturam morbi inquirere, cui voto lubenter ſatisfeci, utpote ex iis, quæ narrabat, quæ breviter communicavi, certus, me in eo corpore detecturum, quod in aliis caſibus

N ma-

magnam affundere lucem poſſet, nec fefellit eventus.

Etiamſi biduo ante mortem paracentheſin adhuc inſtituerat chirurgus, eo ſucceſſu, ut ſexaginta circiter libræ aquæ eſſent eductæ, abdomen tamen inſigniter erat expanſum, & aquæ fluctuantis motus non difficulter percipiebatur; præprimis vero tactui ſeſe offerebant in omni ferme ventris ambitu tumores minores, majores, maximi, præcipue in latere dextro, quod ex tumore inæquabili, &, ut videbatur, ex multis compoſito, enormi turgebat modo. Cadavere dorſo incumbente, dextra illa abdominis pars verſus illud latus maxime vergebat, facta eapropter non longe a criſta oſſis ilium inciſio eſt, ut aqua evacuaretur, & examen contentorum abdominis tanto melius fieri poſſet. Culter non niſi difficulter penetrabat, & videbantur duræ, ferme cartilagineæ, partes diſcindi; prodiit tunc aqua ſubflava, præſertim compreſſo abdomine, adeo gelatinoſa, adeo tenax, ut, in ſuppoſitum vas deſcendens, craſſum filum, non interrumpendum, ſiſteret; menſura exacta licet haberi non potuerit, ad minimum tamen libras viginti æquabat.

Eva-

Evacuata ſic aqua, tumores & duriſſimi & craſſiſſimi percipiebantur, iisque totus ferme venter videbatur impletus. Sectione a ſcrobiculo cordis ad pubem inſtituta, dividi commode quidem integumenta potuerunt, atque muſculorum, maxime extenuatorum, aponeuroſes, ſed craſſior atque durior membrana ſub iis detegebatur; ea tamen cultro diviſa, & a variis tumoribus, quibuscum firmiſſime concreverat, liberata, inſtituta etiam ab umbilico in quodque latus ſectione, denudati magis tumores commode examinari potuerunt.

Erant hi innumeri, & ſuperiorem ventris partem, lateralem ſiniſtram, ſed præcipue dextram, occupantes, a magnitudine nucis juglandis ad capitis virilis extenſionem expanſi, ſuperficiem monſtrabant admodum inæquabilem; in dextro latere præprimis maximus aderat, qui, ex pluribus, invicem cohærentibus, compoſitus, duritiem diverſis in locis diverſam habebat, in aliis cartilagineam in aliis ferme oſſeam, in nonnullis molliorem, & hæc loca diſſecta effluere ſinebant vel talem gelatinoſum humorem, qualis paracentheſi fuerat evacuatus, vel multo adhuc ſpiſſiorem. Omnes tumores adhærebant illi membranæ, quæ

Digitized by Google

mox ſub muſculis ſeſe exhibuerat, & prominebant intra cavum quoddam, cujus natura nondum cognoſci poterat.

Tumoribus verſus unum alterumque latus reclinatis, nullum abdominale viſcus conſpiciebatur, verum partem oppoſitam ſacci conſtituebat membrana, ad inferiora usque ſeſe extendens, oſſibus iliis pubisque adhærens, rubicunda, & vaſorum multorum, ſanguine turgentium, decurſum, atque anaſtomoſes egregio ſpectaculo exhibens. Hujus parte inferiore inciſa, mox tenuia prorumpebant inteſtina, quæ, parum protracta, ſana videbantur, ſano meſenterio adhærentia. Eâdem membranâ, cujus craſſities transverſi pollicis erat, & ab oſſibus pubis, & in quoque latere, a ſuo nexu liberatâ, ſurſumque reflexâ, omentum, a ventriculo & colo deſcendens, ventriculus, hepar, lien, verbo viſcera abdominis omnia, naturali in ſitu deprehendebantur, ſaltem non multum ab eo deturbata, & in ipſo abdominis cavo, quod nunc demum vere apertum erat, vix notabilis aquæ quantitas aderat, quæ longe alius deprehendebatur naturæ, quam illa fuerat, quæ ſaccum adimpleverat hydropicum.

Ri-

Digitized by Google

Rite tunc examinata illa membrana, quæ partem poſteriorem ſacci conſtituerat, de natura morbi dubium ſupereſſe nullum potuit, conſtitit enim, in illam degeneraſſe peritonæum, aquam autem fuiſſe collectam inter peritonæum, & condenſatam, a ſtatu naturali maximopere deviantem, & in craſſam, compactam, membranam non tantum mutatam, ſed tumoribus dictis, cum atheromatibus non male comparandis, obſeſſam, celluloſam, quæ naturali ſanoque in ſtatu peritonæum muſculis nectit.

Totum tamen peritonæum hoc pacto non erat mutatum. Ad diſtantiam transverſæ manus infra ſcrobiculum cordis, ſeu potius cartilaginem enſiformen, durum quidem erat, ſed non in ſaccum extenſum, & ſectio facta mox in ſuperiorem cavitatis abdominis partem penetrabat.

Adfuit ergo verus peritonæi hydrops, & aqua inter illud, atque abdominis muſculos hæſit, non vero in abdominis cavo. Confirmabat hoc ante biduum inſtituta paracentheſis, ſtilus enim, per factam aperturam immiſſus, in deſcriptum ſaccum, non in abdomen, penetrabat.

Qualem mutationem autem ſubierit celluloſa,

Digitized by Google

inter peritonæum & muſculos invenienda; concludere licet ex figura data (*b*). Hæc quippe ſiſtit partem illius membranæ (*c*), a tenuiſſimis muſculorum aponeuroſibus (*d*) ſeparatæ, ſiſtit minores (*e*) majoresque (*f*) tumores, & horum unum, hac in parte maximum, medio loco diſſectum (*g*).

Joannes Acholzius, medicus & profeſſor Viennenſis primarius, anno 1581. primus hunc morbum in cadavere mulieris hydropicæ & inveniſſe & oſtendiſſe dicitur (*h*); ab eo tempore a variis etiam obſervatus, & vel plenius vel minus plene deſcriptus eſt, ſic ut difficile non foret, multos, cum noſtro magis minusve congruentes, caſus colligere, ſed eorum enarratione omnino ſuperſedere poſſe videor, cum ipſe olim (*i*), doctisſimi, ſed præmatura morte erepti, Des Bans, opusculum de hydrope peritonæi ſaccato ediderim, & in hoc non ſolum, ſed & in Clar. Morgagni de ſe-

(*b*) Tab. VII. Fig. 3.
(*c*) Tab. VII. Fig. 3. a. a. a. a.
(*d*) Tab. VII. Fig. 3. b. b. b.
(*e*) Tab. VII. Fig. 3. c. c.
(*f*) Tab. VII. Fig. 3. d. d. d.
(*g*) Tab. VII. Fig. 3. e. e.
(*h*) Morgagni de ſed. & cauſ. morborum Epiſt. 38. art. 47.
(*i*) Theſaur. Diſſert. vol. 1. pag. 453.

Digitized by Google

ſedibus & cauſis morborum incomparabili libro, quicquid de hoc morbo dici poſſe videatur, collectum ſit (*k*): ſic ut ſufficiat, ſectione cadaveris, hactenus memorata, illius naturam ulterius comprobaſſe.

(*k*) Addatur Obſervatio, notatu digniſſima, a Joh. Targioni Tozzetti deſcripta in Raccolta di Opuſcoli medico-pratici. vol. 3. pag. 324., quam Clar. Eſſchenbach etiam inſeruit ſuæ collectioni obſervationum Medicarum & Chirurgicarum: vermiſchte mediciniſche und chirurgiſche bemerkungen. &c. aus verſchiedenen ausländiſchen ſchriften. Erſte Samlung. Leipzig 1784. pag. 145.

CAPUT UNDECIMUM.

De renis dextri & veſicæ urinariæ notabili ulcere.

Quadraginta & duos annos natus, Vir, dolorem in dextro latere vehementiſſimum, ſeſe ad ſpinam dorſi extendentem, & juxta ductum muſculorum, qui parti priori lumborum appoſiti ſunt, & femur regunt, deſcendentem, ante octo & quod excurrit annos paſſus fuerat; hic, non omni tempore idem, ſed nunc lenior, nunc gravior, ſubinde adeo vehemens erat, ut non niſi maxi-

Digitized by Google

maxime inflexo corpore levamen quoddam perciperet; acceſſit porro dyſuria, ſtranguria, &, quæ excernebatur, urina ſedimentum purulentum deponebat. Increvit dolor in pelvi, acceſſit iſchuria, quam, dilatando urethram ope cereoli ſuperare anniſi ſunt medentes; contigit autem, ut, cum immittere talem conabatur medicus, dolor ſummus fuerit excitatus, cereolus in veſicam non penetraverit, ſed eundem extractum & diverſimode inflexum magna inſequuta ſit hæmorrhagia, quæ per aliquot horas duravit; ab alio poſtea immiſſi cereoli id levamen attulerunt, quod, viam liberam ſervando, excretio urinæ facilior reddita ſit, & plenaria iſchuria poſtea non fuerit ſubſequuta. Omni momento urinam guttatim expellere perrexit, & cum lotio verum pus ſemper excernebatur. A latere dextro abdominis ad pubem usque ſe extendens, oblongus, percipiebatur tumor, admodum dolorificus, chordæ inſtar tenſus, qui ſummam excitabat moleſtiam. De pondere in perinæo, tumore intra pelvim, conquerebatur æger, & digitus, ano immiſſus, corpus quoddam durum percipere videbatur. Quæcunque propinata fuerunt media nullum levamen ad-

Digitized by Google

adtulerunt, ſed, ut fieri ſolet, quando nunc huic nunc alii ſeſe confidunt ægri, potius diverſi generis remedia fuerunt damnoſa. Unicum, quod pro tempore ſolamen adtulit, medium fuit clysma emolliens, anodynum, quod aliquoties de die fuit adplicatum, ſed cujus vis narcotica ſic ſenſim fuit adaugenda, ut, ultimo vitæ tempore, quatuordecim grana opii quoque clysmate continerentur. In latere ſiniſtro acceſſerat tumor dolorificus, ſed hic diſparuit, & expanſioni inteſtinorum flatulentæ videbatur adſcribendus. Acceſſit prava digeſtio, præcipue dolor ventriculi & circa eundem, quando aſſumta per aliquot tempus in hoc cavo fuerant digeſta. Febre hectica emaciabatur corpus, tuſſi ſputa ejiciebantur purulenta, de tempore in tempus diarrhœa aderat, & vires tanta malorum caterva tantopere frangebantur, ut demum ſuccubuerit.

Cum morbus paucis videbatur cognitus, ipſe æger juſſerat, ut a morte corpus aperiretur, morbique cauſa & ſedes inveſtigarentur. Rogatus a vidua ut hanc ſectionem inſtituerem, enarrata morbi, quem, vivente mihi ignoto homine, obſervare non licuerat, votis ipſius lubens ſatisfeci.

O Aper-

Digitized by Google

Aperto thorace, a pleura dexter pulmo liber conſpiciebatur, ſed ſiniſter ipſi firmiter erat accretus; dextri lobus ſuperior in apicem, maxime rubicundum, duriſſimum, deſinebat; color hujus ut & ſiniſtri cæterum pallidus erat, & ſecta ſubſtantia ubique majores minoresque purulentæ materiëi offerat collectiones, notabiles præcipue in latere ſiniſtro; eadem materies in vaſis aëriferis hærebat, ultimasque veſiculas ſic opplebat, ut, ex diſſecta & compreſſa pulmonis quacunque particula, innumeræ purulentæ hujus ſubſtantiæ prodirent guttulæ. Cor, admodum parvum, magna ſatis aquæ copia cingebatur, nec libera ab illa erat dextra thoracis capacitas.

Diſſectis dein abdominis integumentis, muſculis, peritonæo; viſcera videbantur ſana; hepar certe, lien, ventriculus, inteſtina, pulchre omento tecta, nil vitii offerebant; colon nonnullis in locis, præſertim ubi infra ventriculum per transverſum abdomen decurrit, maxime erat contractum.

Sublatis inteſtinis, ut viæ & organa, urinæ ſecretioni & excretioni deſtinata, quippe in quibus ſedem mali latere narrata morbi hiſtoria abunde

evi-

Digitized by Google

eviceerat, paterent; mox adtentionem omnem ad ſe traxit ureter dexter, hic quippe ferme pollicem craſſus, duriſſimus, cartilagineus quaſi, vaſis vicinisque partibus firmiter accretus deprehendebatur; ab illo ad renem ſui lateris adſcendens hunc partim durisſimum partim mollem inveni; duriſſimum præcipue, qua parte ſpinam dorſi ſpectabat, molliorem in ſuperficie anteriore, & in margine convexo; erat adeo degeneratus hicce ren, ut diaphragmati, hepati, duodeno, & vaſis firmiſſime adhæſerit, & ab his partibus, etiam multum degeneratis, vix liberari potuerit. Diſſectus multam craſſi admodum puris quantitatem continebat; hoc præcipue hærebat in ramis pelvis, qui admodum diſtenti erant, & circumcirca, præcipue vero, quo magis ad pelvim accedebant, duritiem ferme cartilagineam habebant. Inter illos, ſic amplificatos, ramos pelvis, media ſubſtantia induratæ glandulæ non erat abſimilis. Ureter cartilagineam pariter acquiſiverat duritiem, & diſſectus exiguam offerebat aperturam, ex qua purulenta materies, vel parum compreſſo rene, prodibat.

In pelvi, pubis osſibus accumbens, durum ad-

O 2 mo-

Digitized by Google

modum, corpus detegebatur, quod lotii erat receptaculum. Hujus veſicæ, maximopere induratæ, tunicæ craſſitie ſua dimidium pollicem ſuperabant; capacitas autem ipſius adeo parva erat, ut juglandem nucem vix continere valuiſſet. Opplebat autem eam purulenta materies ejusdem naturæ, qualis in rene fuerat inventa, & ſuperficiés interna quam maxime erat arroſa. Aderat non longe a collo apertura, quæ per craſſiſſimam veſicæ ſubſtantiam penetrabat, in cavum quoddam, parvum, ducebat, & ibi, ubi veſica recto inteſtino incumbit, non niſi tenui membrana ab hoc inteſtino ſeparabatur. An hæc adſcribenda rudiori inſtrumenti impulſioni? Urethra videbatur ſana, ſed collum veſicæ erat anguſtiſſimum, & proſtata, indurata, degenerata, ſic capacitatem ipſius comprimebat, ut vix ulla ſupereſſet. Siniſtri lateris ren & ureter ſani videbantur.

Obſervationes hujus generis, ab aliis memoriæ proditas, qui cum noſtra comparare velit, plures a Zubero (*a*) collectas inveniet ex Foreſto

(*a*) De morbis veſicæ pag. 31.

Digitized by Google

reſto (*b*), Tulpio (*c*), Hallero (*d*), Morgagni (*e*); quemadmodum in colligendis iis Schenckius (*f*), Mangetus (*g*), Bonetus (*h*) etiam fuerunt ſeduli, quos fontes in gratiam eorum, quibus Zuberi opuſculum ad manus non eſt, adduxiſſe ſufficiat.

(*b*) Obſervat. & Curat. med. & chir. Lib. 25. obſ. 31. pag. 546. obſ. 32. pag. 347.
(*c*) Obſervat. med. Lib. 2. cap. 53. & Lib. 4. cap. 37.
(*d*) Opuſcul. Patholog. obſ. 35.
(*e*) De ſed. & cauſ. morborum Epiſt. 42. n. 15. 20. 28. 40. Epiſt. 66. n. 2.
(*f*) Lib. 3. obſ. 303.
(*g*) Bibliothec. Chir. Tom. 4. Lib. 18. pag. 368.
(*h*) Sepulchret. Anatom. Lib. 3. Sect. 24. obſ. 10. n. 2. Sect. 25. obſ. n. 1. 3. 4. obſ. 8. n. 20. 21. ſect. 28. paſſim.

CAPUT DUODECIMUM.

De Iſchuria lethali.

Qui olim in puero, tredecim menſes nato, lethalis iſchuriæ cauſam inveſtigans, calculum, urethræ impactum, indeque natam duplicem hujus canalis rupturam, detexi (*a*), in cadavere ſenis

(*a*) Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. III. pag. 53. ſeq.

Digitized by Google

nis ſimilem urinæ ſuppresſionem indagaturus, cauſam non ſolum in calculo, ſed & in proſtata, cum maxime degenerata, latuiſſe deprehendi.

Senex, qui octuageſimum & quartum ætatis annum attigerat, quadrato robuſto corpore, habituque obeſo, præditus, qui in cœlibatu ſemper caſtisſimus vixerat, nec ullo unquam vitio in viis urinariis laboraverat, ante paucos annos ſubinde in difficilem urinæ excretionem incidit, levatam rurſus, quando parvos, maxime friabiles, calculos ejecerat; urinam tamen poſtea nunquam pleno & ſolito jactu expellere, ſed tenuisſimo radio emittere debuit, longumque impendere tempus, antequam veſicam penitus evacuaverat; tandem in plenariam incidit urinæ ſuppresſionem, ſic tamen, ut guttatim parva prodiret urinæ quantitas.

Cum autem, paucis elapſis diebus, poſtquam omnia, eaque ſolita remedia, interna, externa, fruſtra fuerant adhibita, ut urinæ iter liberius redderetur, medicus perciperet, abdomen magis magisque intumeſcere, tendi, attenderetque, non raro & urinæ ſuppresſionem & involuntariam excretionem adfuiſſe (*b*), ſuaſit, catheteriſmum

(*b*) Conf. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. II. pag. 112.

Digitized by Google

mum inſtitueret chirurgus. Hic, hac in operane, difficultatem invenit maximam; de ſummo dolore conquerebatur æger, &, cum tandem veſicam intraret inſtrumentum, parva quidem exiit urinæ copia, mox vero retractum catheterem inſequutus ſanguis eſt. Altero die cum ne guttam urinæ emitteret æger, eandem operationem repetiturus chirurgus penetrare in veſicam nullo modo potuit, iterumque ſanguis fuit evacuatus. Tertio die verſus veſperam in conſilium vocatus, maxime anxium inveni ægrum, de dolore maximo in pene conquerentem, debilisſimum, & omni ſenſu ſic conſtitutum, ut fatalem morbi exitum prædicere debuerim. Tenſum enormiter abdomen erat, nullo autem modo dolebat, etiamſi manu comprimebatur. Digitus, ano immiſſus, oppletam diſtenta & durisſima veſica pelvim invenit. Genitale membrum cum examinabatur, vel levisſimus attactus dolorem producebat ſummum; immiſſus autem catheter vix ultra glandem pertingebat, quin præ dolore acerbiſſimo vehementer clamaret æger, maxime urgeret, & mox ſanguis magna quantitate, partim grumoſus, partim fluidus, prodiret; injectum blandisſimum oleum fuit,

Digitized by Google

fuit, immiſſus, viæ anfractuoſæ cæterum optime ſeſe accommodans, cereolus; ſed incaſſum.

Licet jam ex iis omnibus, quæ præceſſerant, ex præſenti etiam ægri ſtatu, ex impedimento, quod per tot dies imminui, nedum tolli, potuerat, de reſtituendo ægro omnino deſperarem, tamen, ne fato ſuo penitus derelinqueretur, aut poſtea aliquid videretur omiſſum, inſtituta veſicæ punctura per inteſtinum rectum, methodo Flurantii (*c*). Mox atque pertuſa erat veſica, ingens urinæ, rubellæ, admodum fœtentis, prodiit quantitas; ſubſedit abdomen, & levatus hoc ſenſu multum æger fuit. Nox autem inſequuta eſt laborioſiſſima, de dolore ſummo in urethra conquerebatur, & inquietiſſimus, alvum, abſque ut cuſtodem moneret, deponens, ſimul propulit cannulam in veſica relictam, &, una cum fœcibus, videbatur per hanc viam iterum magnam excreviſſe urinæ copiam. Febris aderat valida, pulſus autem ſimul talis, ut gangrænam ſi non adeſſe, ſaltem non procul abeſſe, conjicere liceret; lingua nigerrima, ari-

dis-

(*c*) Succeſſum hujus operationis nuperrime confirmavit Bentley. Medical Communications. London 1784. pag. 237.

Digitized by Google

diſſima. Tentata tamen omnia ſunt, quæ ars ſuppeditat, ut naturalis urinæ via reſeraretur, ſed incaſſum, nec repetita fuit operatio, quum omnia inevitabilem mortem indicarent, quæ etiam ſupervenit, licet ob robuſtiſſimum corpus diutius cum morte luctatus fuerit, antequam, convulſionibus correptus, fato cederet.

Inſtitui altero die una cum medico atque chirurgo, qui curam ægri geſſerant, cadaveris examen. Aperto a ſcrobiculo cordis ad pubem, ab umbilico in utrumque latus, abdomine, veſica urinaria, inſigniter expanſa, infimam abdominis partem, ſola occupans, & ad umbilicum usque ſeſe extendens, videbatur, inteſtina omnia ſurſum erant propulſa, & non multum expanſa. Inſignis pinguedinis quantitas meſenterium, omentum, opplebat, & inteſtinis, ut & veſicæ, adhærebat. Veſicæ vaſa admodum erant expanſa, mox autem atque lotii receptaculum comprimebatur, maxima urinæ, non admodum fœtidæ, copia expellebatur. Aperta ab anteriore veſica, ſpongiæ ope, prudenter a reliquo lotio liberabatur. Tunicæ veſicæ urinariæ, etiamſi adeo fuerat diſtenta, tamen admodum craſſæ erant, ſic

Digitized by Google

ut, licet evacuata, non multum volumine minueretur: tunica interna non erat æquabilis, ſed reticulata quaſi, & ſinus magis minusve profundos monſtrabat, quos omnes calculoſa opplebat materies, ſic ut primo aſpectu calculis quaſi incruſtata videretur. Præcipue vero maxima collectio grumorum calculoſorum in fundo veſicæ conſpiciebatur, qui, per tenacem mucoſam materiem invicem cohærentes, orificio colli ſic erant appreſſi, ut illud non, niſi remotis iisdem, in conſpectum veniret; ſed & tunc non apparebat, prout ſano in ſtatu ſeſe monſtrare ſolet; tuber enim aderat inſignis magnitudinis, intra cavum veſicæ prominens, & orificium ipſius partim opplens, partim ultra illud ſic prominens, ut non niſi parva fiſſura conſpiceretur; aderat ſimile tuberculum a latere præcedentis. Duo autem hi tumores cohærebant cum proſtata, ſeu potius proſtata ſeſe tantopere extenderat, ut non tantum applicata eſſet parti poſteriori colli, ſed totam cervicem cingeret, longitudinem ab uno latere ad alterum habens trium pollicum, ad altitudinem duorum cum dimidio adſcendens, & craſſitie duos pollices æquans. Collo una cum urethra aperto, duo

Digitized by Google

duo illi tumores, ad magnitudinem nucis juglandis, intra veſicam prominentes conſpiciebantur, diſſecta autem proſtata ſubſtantiam multum degeneratam, duram, vere ſcirrhoſam, exhibuit. Urethra multum contracta, inflammata, erat, & eadem calculoſa materie obſeſſa, quæ veſicæ urinariæ adhærebat; hæc ſua acutie ſine dubio ſummos in ægro dolores excitaverat, tantamque ſenſilis admodum & jam multum inflammatæ urethræ contractionem, ut cathetere per eandem penetrare non poſſibile fuerit. Caput gallinaginis parum erat laceratum, an a dicto inſtrumento, cujus introductionem ſanguis fuerat inſequutus? an a calculis, aderant enim diverſæ magnitudinis præter grumos minores, arenulamque copioſiſſimam?

Penetraverat cannula, ad exonerandam veſicam per inteſtinum rectum propulſa, in corpus veſicæ parum ſupra degeneratam proſtratam, inter veſiculas ſeminales; receſſerat apertura, in veſica facta, ab apertura in inteſtino recto, vix tamen humor aliquis in celluloſa inter veſicam & rectum detegebatur. Ureteres juſtæ erant capacitatis, &, quantum percipere licuit, renes, ut & abdominalia viſcera omnia ſano in ſtatu verſabantur.

Digitized by Google

tur. Veſiculæ ſeminales admodum parvæ, duriſſimæ, ferme cartilagineæ, diſſectæ, varios loculos, vacuos, continebant.

Duplex ergo hic adfuit Iſchuriæ cauſa, proſtatæ inſignis magnitudo, inæqualis prominentia, ſcirrhoſa durities, quæ ſuis, intus prominentibus, tuberculis urethræ orificium ſic compreſſerat, ut mirum minime fuerit, jam ab aliquo tempore urinam pleno jactu non potuiſſe emitti; acceſſit ingens calculoſæ materiëi copia, forte ex diffracto antea, quacunque demum de cauſa, calculo; ea etenim materies, ex fruſtulis majoribus, minoribus, minimisque compoſita, nonnulla offerebat, quæ externam calculi ſuperficiem antea formaſſe non obſcure indicabant. Hæc materies parvam admodum orificii veſicæ aperturam oppleverat, particulæ autem minimæ, ab urgente veſica in urethram propulſæ, nec pertransire valentes, eandem irritaverant, inflammationem excitaverant, dictamque produxerant conſtrictionem, ſic ut vel attacta urethra intolerabilem produceret dolorem, &, deobſtuere viam naturalem, arti datum non fuerit.

Sed quæ cauſa, quod compreſſa, aperto abdo-

domine, manu & conſtricta veſica, per penem lotium expulerit? Hæc, ſine dubio, in relaxatione partium a morte quærenda. Calculoſa materies, quæ a veſica, in omni parte, dum vivebat, actuoſa, verſus orificium urgebatur, jam propria gravitate pro parte fundum petens, ab orificio receſſerat parum; urina per magnam compreſſionem, manu factam, verſus orificium urgebatur, tantamque ibi non inveniens, quantam vivente ægro, reſiſtentiam, & ſecum abripiens calculoſam materiem, quæ in cervice, & tota urethra remanſerat, cujusque reliquiæ in diſſectis partibus adhuc detegebantur, per penem propellebatur facilius.

Confirmavit ergo abunde hæcce ſectio, quod vera morbi cauſa, proſtatæ ſcirrhus, tolli nunquam potuiſſet, &, ſi forte via nunc fuiſſet aperta, idem malum continuo debuiſſet redire ob inſignem materiæ calculoſæ quantitatem, quæ de tempore in tempus cum urina propulſa obſtruere viam debebat, mox atque paulo major calculus anguſtum orificium ſuperaſſet.

Docuerunt hoc etiam ſectiones, ab aliis inſtitutæ, eorum enim, qui proſtatæ degenerationes varias annotarunt, numerus inſignis eſt, quem

Digitized by Google

admodum oſtendit Morgagni, qui in hanc rem ſedulo inquiſivit (*d*), & nonnullas obſervationes adduxit, cum noſtra, quo ad hanc partem, magis minusve convenientes (*e*), in ſenibus præcipue factas, ſic ut inutilem omnino laborem inſtituerem, ſi eos repeterem, præſertim cum de tumoribus, intra veſicam urinariam viſis, & iſchuriam producentibus, jam alia occaſione egerim (*f*).

(*d*) De ſed. & cauſ. morborum. Epiſt. 41. art. 17.

(*e*) Id. ibid. Epiſt. 41. art. 18. Epiſt. 42. art. 12. Epiſt. 49. art. 18. aliisque in locis.

(*f*) Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 4. pag. 85. ſeq.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De atreſia ani.

Hanc illamve naturalem aperturam in neonato clauſam eſſe, ſæpiſſime obſervatum fuit, & in ano hujus vitii plures adeſſe poſſe ſpecies, abunde probatum (*a*). Duas, facile ſanatam alte-

(*a*) Bertin Memoir. de l'Acad. R. des Sciences année 1771. pag. 557. Edit. Amſt. Papendorp Diſſ. de ano infantum imperforato, defenſ. Lugd. Bat. 1781.

Digitized by Google

teram, alteram ſanabilem, ſed non in tempore cognitam, a morte infantis autem a me examinatam, obſervavi.

Adeſt ſubinde ani apertura, ſed adeo parva, ut meconium expelli non poſſit. Tale quid locum habuit in puella, ad quam altero a nativitate die vocabar. Quæ curam ipſius gerebat, fœmina, animadvertens, infantem continuo nixum edere, ac ſi alvum exonerare vellet, nullas vero fæces in linteaminibus deprehendens, anum mox examinavit, hujus autem nullum cum detegeret aperturam, ſed tumorem lividum, adauctum quoties nixum quemdam edebat puella, patrem commonefecit, qui mox, ut ipſi conſilio adeſſem, rogavit. Accedens primo nullam ani aperturam inveni, mox vero adeo parvam deprehendi, ut vix tenuiſſimum ſtilum admittere poſſe videretur. Oleo autem inunctum primo tenuius, dein craſſius, tale inſtrumentum introduxi, ſicque aperturam adeſſe cognovi, ſed nimis anguſtam; conum deinde, ex ſapone veneto formatum, ſenſim lateſcentem, introduci curavi, & hic, quum aliquamdiu fuiſſet retentus, inteſtinum ſic ſtimulavit, ut nixum ad deponendam alvum ederet infans,

Digitized by Google

fans, eo effectu, ut meconium prodierit, ſenſimque ani apertura adeo dilatata ſit, ut fœces naturali modo deponere potuerit.

In altero caſu, ano aperto & naturali, membrana altiori loco inteſtinum occludebat. Saniſſimus, qui omni ſenſu bene conformatus videbatur, puer, feliciſſime in lucem emiſſus, neque alvum depoſuit neque urinam emiſit. Cum ani apertura adeſſet, adeoque ibi loci nullum obſtaculum ſuſpicaretur, ſyrupi purgantes præſcripti, clysmata reiteratis vicibus applicata, licet ſiphonis tubulus ad longitudinem articuli digiti tantum inteſtino impelli potuerit, quod duriori fœculentæ materiëi, ibi hærenti, adſcriptum eſt. Interim de tempore in tempus urinam emiſit, ſed venter intumuit maximopere, &, quum verſus quintum diem, præter anxiam reſpirationem, alia ſymptomata ſeſe manifeſtarent, quæ fatalia videbantur, accerſitus chirurgus; hic mox ſtilo, podici immiſſo, detexit membranam, non multum ab ani apertura diſtantem, &, etiamſi probe perſpiceret, quid agendum eſſet, rogavit, ut, cum in agone mortis verſari videbatur puer, & ego ipſi adſiſterem. Examinato infante, dictum ob-

Digitized by Google

obſtaculum facile detexi, illudque ſic conſtitutum obſervavi, ut videretur, facta per acum triquetram cannulatam apertura, facile tolli poſſe. Etiamſi nunc non ſervandus videretur infans, tamen fato ſuo non eſſe derelinquendum cenſui, & operationem inſtituendam. Hac peracta mox ingens meconii quantitas prodiit, fomentum abdomini, quod tympani inſtar tenſum & lividum fuerat, adplicabatur, refocillantia remedia in uſum vocata, eo effectu, ut, qui modo moribundus videbatur, ad ſe quodammodo rediret, aſt tantum pro tempore, etenim vix duabus horis elapſis animam efflavit.

Scire cupidus, quodnam adfuerit obſtaculum, & an operatio, ſi in tempore fuiſſet inſtituta (*b*), exoptatum producere potuiſſet effectum, abdomen aperui. Mox atque vel parvum ipſi inflictum eſſet vulnuſculum, in cavum penetrans, aëris copia inſignis, isque fœtidiſſimus, prorupit; nec mi-

(*b*) Non ſemper enim operatio, hoc in morbo, quamvis juſto modo & tempore eſſet inſtituta, ſervare miſeros potuiſſet. Conf. Trioen Obſervat. pag. 60. Clar. Ooſterdyk, narrante Papendorp, Diſſert. citat. pag. 56. Bertin Memoir. de l'Acad. R. des Sciences année 1771. pag. 579. edit. Amſt.

Digitized by Google

mirum, inteſtinum colon, qua parte juxta renem dextrum adſcendit, & ſub ventriculo ad ſiniſtrum latus progreditur, erat enormiter expanſum, lividum, gangrænoſum, & vere disruptum; in latere ſiniſtro deſcendens colon erat valde contractum, ſed, ubi ad pelvim accedebat, formabat ſaccum, amplum, ſeſe ſupra pelvim ad latus dextrum extendentem, & dein pelvim intrantem. Denudato circum circa, & in perinæo & ad coccygem, inteſtino recto, illud, ad diſtantiam vix pollicarem, ſupra externam aperturam, admodum erat contractum, ſed cohærebat cum ſacco, amplo, modo dicto, ſic tamen ut tenax quædam interfuerit membrana, quæ per immiſſum inſtrumentum pertuſa erat, ſed cujus reliquiæ manifeſtæ in omni ambitu aderant. Viſcera abdominis reliqua ſaniſſima deprehendebantur, adeo ut operatio, ſi in tempore fuiſſet inſtituta, infantem valuiſſet ſervare, cui jam evenit, quod aliis plurimis, quando vel non (*c*), vel non in tempore

(*c*) Salzmann obſervat. pag. 20. Poſthius in Boneti *Sepulchret. Anatom.* Tom. 2. pag. 202.

Digitized by Google

re (*d*), inſtituta operatio eſt, aut eam parentes admittere noluerunt (*e*).

(*d*) Ledelius in Ephem. Nat. cur. Dec. 3. ann. 2. obſ. 5. Burgius ib. Dec. 3. ann. 6. obſ. 58. Journal de Medecine. Tom. 7. pag. 360.

(*e*) Talem obſervationem cum doct. Papendorp communicavit Clar. Bonn. pag. 49.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De calculis figura inſolita.

Communicatis antea obſervationibus de calculis rarioribus (*a*), brevem duorum, figura ſua maxime notabilium, expoſitionem, iconibus (*b*) illuſtratam, addere placet.

Primum poſſidet Collega honoratiſſimus Voltelen. Eſt hic (*c*) quodammodo duplex, conſtat nempe ex parte longiore (*d*), aliaque minore rotunda (*e*), & hæc excipitur a foveola in ſupe-

(*a*) Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. I. pag. 86. 90. Lib. III. pag. 71. Lib. IV. pag. 69. 76. 88. 90.

(*b*) Tab. VII. Fig. 4. 5. 6. 7. 8.

(*c*) Tab. VII. Fig. 4.

(*d*) Tab. VII. Fig. quartæ pars. inf.

(*e*) Tab. VII. Fig. 6.

Digitized by Google

periore parte portionis longioris (*f*) invenienda. Extraxit hunc, apice ſuo urethræ mulieris impactum, Chirurgus Lakeman, qui ſimul annotavit, alterum, rotundum, libere in veſica hæſiſſe.

Alter (*g*) cuneum perfecte refert, latiorem baſem habet, in qua rotundulam ſuperficiem diſtinguere licet; ab illa baſi latera omnia ſic concurrunt, ut deſcendendo apicem, latum quidem, ſed acutum, referant, & calculus hic, in duas partes diviſus, atque a latere conſpectus, triangularem formam (*h*) repræſentet. In hac ſectione ſimul nucleus apparet, qualis in hoc, ut in omni alio calculo, cujusnam figuræ, habitus, conformationis ſit, conſpicitur, quemadmodum talem in multis admodum calculis, a me diviſis, quotannis demonſtrare ſoleo.

(*f*) Tab. VII. Fig. 5.
(*g*) Tab. VII. Fig. 7.
(*h*) Tab. VII. Fig. 8.

C A-

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De crure præter modum tumido.

Virgini, cui ſiniſtri pedis pollex, in tumorem inſignem extenſus, olim fuerat amputatus, vulnus, hunc in finem factum, nunquam plenarie ſanatum eſt; videbatur quidem cicatrice obductum, verum exſudabat ſemper ſingularis naturæ humor, qui exſiccatus, induratus, & ad inſignem longitudinem extenſus, demum cecidit; ab eo tempore nulla talis naturæ prodiit ſubſtantia, ſed circa menſem Februarii 1783. ſuboriebatur tuberculum in ſura, ubi gemellus tendinem Achillis formare incipit, hoc, ſenſim ſenſimque adauctum, tumorem menſe Junio produxerat, qui durus, inæquabilis, totam ſuram occupavit, & in dies ſic increvit, ut omnem motum impediverit, & a menſe Novembri ejusdem anni ſemper lecto incumbere coacta fuerit ægra. Emaciabatur totum corpus, crus extendi amplius non potuit, & tantopere tumefactum fuit, ut circumferentia ſeſquiulnæ fuerit, & tumor, a calce ad genu ſeſe extendens, natem attingeret. Tentata ab initio mali omnia, quæ indicari videbantur, interna ex-

ternaque remedia, ut tumor reſolveretur, & in ſanum ſtatum reduceretur crus, ſed omnia in casſum, immo nonnulla potius damnum attuliſſe viſa ſunt, præcipue fomenta ex cicuta parata, quæ intolerabilem produxerunt dolorem. Circa menſem Januarii 1784. in parte inferiore tumoris hujus enormis tuberculum viſum eſt, quod disruptum primo humorem tenuem, dein purulentum, tum ſanioſum & ſanguinolentum emiſit; natum ſic ulcus fuit inſignis amplitudinis, inter muſculos ſeſe extendens, quod, magnam dictæ materiæ quantitatem quotidie effundens, adeo conſumſit corpus, ut ultimo Februarii vitam cum morte commutaverit.

Qui curam hujus ægræ geſſerant, ac memorata hactenus communicaverant, ut ſectionem cruris hujus inſtituerem, rogarunt. Integumenta partim disrupta, ulceroſa, partim maxime extenſa, tuberculata vidi. Aperturæ, quæ aderant, ad inſignem ducebant capacitatem, fœtidiſſima, amurcoſa, ſubſtantia oppletam, quæ celluloſam, muſculos, gemellum, ſoleum, plantarem, popliteum, ſic conſumſerat, ut diſtincti nihil de iis conſpici potuerit, ſed omnes hi in unam, maxime de-

Digitized by Google

degeneratam, maſſam eſſent confuſi. Quæ ulcere tactæ nondum erant partes, non minus a ſtatu ſano receſſerant, vix carneæ fibræ diſtingui potuerunt, ſed omnes in ſingularem mutatæ erant ſubſtantiam, glanduloſam quaſi, verſus exteriorem ſaltem ſuperficiem tuberculatam, & hæc erant illa tubercula, quæ per integumenta tactu non tantum diſtinguebantur, verum oculo ſeſe etiam offerebant, licet ſub aponeurotica illa membrana hærerent, quæ integumentis ſubjecta muſculos cruris dicta in parte continet, & inſigniter expanſa erat. Subjecti muſculi, & oſſibus propius accumbentes, Tibialis poſticus, Flexor longus pollicis pedis, Flexor longus digitorum pedis, diſtingui potuerunt, ſed maxime compreſſi erant, eorumque color talis non obſervabatur, qualis in cadaveribus eſſe ſolet: vaſa videbantur ſana, & oſſa non multum etiam erant paſſa; in tibia detegebatur nil inſoliti, ſed fibula a parte poſteriore, ibi loci, ubi tuberculum menſe Februario 1783. ſeſe manifeſtare incepit, ad diſtantiam duorum pollicum admodum inæquabilis erat, & multis aculeis, majoribus, minoribus, exaſperata.

C A-

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De palato molli uvulaque a nativitate fiſſis, absque ullo alio oris interni vitio.

Palati mollis, uvulæque fiſſuram, quæ ſæpe labium leporinum compoſitum comitatur (*a*), a nativitate, absque ut vel labium vel palatum fiſſum ſit, ſubinde adeſſe, in puella quindecim annorum mihi conſtitit. A palato oſſeo fiſſura incipiebat, hiatusque apparebat magnus, rotundulo margine, a ſuperiore, terminatus, per quem & narium aperturæ poſteriores, & pharyngis ſuprema pars cum cunctis, quæ hic adeſſe ſolent, egregie conſpiciebantur. Fiſſura inde ſeſe extendebat ad apicem uvulæ, ipſius autem latera ſenſim ad ſe invicem accedebant, ſic ut, hiante ore, immoto palato molli, duæ uvulæ bifidæ partes ſeſe ferme tangerent.

Quale incommodum ex tali vitio in loquela naſci debeat, norunt omnes, cum ex cauſa morboſa

(*a*) Obſervat Anatom. Patholog. Lib. IV. pag. 36.

ſa toties hæ partes vitiantur, deſtruuntur, & obſervationes tales frequentiſſimæ ſunt; ſed in deglutitione ſic ſeſe accommodabant partes, ut nil amplius nares intraret, ſed æque facile, ac quisque alius, cibum potumque depelleret puella.

29 Interrogata mater adfirmavit, ab ipſa nativitate hoc vitium adfuiſſe, labia & palatum optimo ſanoque in ſtatu ſeſe habuiſſe (quemadmodum æquabiliſſimus & omni ſenſu naturalis oris fornix, hic loci fiſſuram antea non adfuiſſe, adfirmabat, & nulla in labio cicatrix aderat); deglutitionem mox a nativitate fuiſſe difficillimam, lactis partem maximam per nares rediiſſe; anxiam ſemper fuiſſe, ſi dorſo incumberet, ſenſim vero hæc omnia ceſſaſſe, & nil mali ſupermanſiſſe, præter incommodum leve in loquela, in pronuntiatione præcipue illarum litterarum, ad quas dictarum partium integritas requiritur.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De forſicula viva naribus excuſſa.

Inſecta varia, naribus ejecta, poſtquam diverſi generis mala produxerant; deſcripſerunt auctores multi, quorum plures alia occaſione collegi (*a*); ſimulque obſervationem de ſcolopendra phoſphorea, poſt diram cephalalgiam, naribus expulſa, addidi. Ante paucos annos alius hujus naturæ caſus mihi obvenit.

Matrona quædam, a longo tempore, vehementi dolore in parte laterali dextra narium internarum, & in ſinu frontali, vexata, & fœtidiſſimam materiem magna copia e naribus emittens, diverſis ſymptomatibus laborabat, quæ ozænâ affectas illas partes eſſe, non obſcure indicabant. Poſtquam varia in uſum vocata fuerunt remedia, demum vapor per infundibulum in narem dextram admiſſus eſt, ut depurarentur interiora. Vix autem hoc medio aliquoties uſa fuit, quin ſingularem pruritum ſenſit, & mox forficulam ordinariam vi-

(*a*) Obſervat. Anatom. Patholog. lib. III. pag. 123. not. i.

Digitized by Google

vivam expulit. Dolor ab eo tempore multum imminutus ſenſim evanuit, materies ſanioſa, antea fœtidiſſima, melior reddita fuit, ſanatumque denique ulcus eſt, quod per longum temporis ſpatium fuerat moleſtiſſimum (*b*). Solita ægra ſemper fuerat, fragrantes florum odores magna vi in nares attrahere, dubium itaque nullum eſſe potuit, per quam viam inſectum nares intraverit, ſed maxime mirandum, quod per longum temporis ſpatium hoc in loco vivere, ſubſiſtere, valuerit.

(*b*) Morbum ſinus maxillaris, ex quo nonnulla prodierunt inſecta, admodum dolorificum memorat Heyſham. Medical Communications. vol. 1. pag. 430. Maniam, expulſis, poſt aſſumtum errhinum, ex naribus vermibus multis, ſanatam deſcripſit Holdefreund Erzählungen merkwürdiger Krankengeſchichte. pag. 3. ſeq. Alia mala, eidem cauſæ adſcribenda, notarunt varii. Conf. van Doeveren de vermibus pag. 4. & P. S. Pallas de infeſtis viventibus intra viventia, in Theſaur. Diſſert. vol. 1. pag. 150.

TABULARUM EXPLICATIO.

TABULAE I.

Fig. 1.

Cranium fœminæ junioris, hydrocephalo olim laborantis, ſolito longius, ſuperiore in parte parum depreſſum, ſagittali ſutura deſtitutum, a latere quaſi tuberculatum, ob prominentes maxime ſquammoſas oſſium temporum partes, a latere exhibitum.

Fig. 2.

Idem cranium a parte poſteriore, ut ſagittalis ſuturæ defectus, lambdiformis ſingularis decurſus, & inæqualis prominentia hac in parte pateſcant.

Utile viſum non fuit, diverſis oſſibus, quæ in utraque figura oculis ſeſe exhibent, diſtinctas inſcribere literas, cum facillime ab omni Lectore dignoſcantur.

Vide Caput I.

TA-

Tabulae II.

Fig. 1.

Idem cranium facta horizontali ſectione, ab interiore & inferiore parte.

a. b. c. c. d. d. Craſſities hujus cranii: a. in fronte; b. in occipite; c. c. in temporibus; ubi partes ſquammoſæ oſſium temporum dantur; d. d. in partibus lateralibus & poſterioribus, ubi oſſa verticis ſeſe inter os occipitis, & partes ſquammoſas & petroſas, interſerunt.

e. e. Lamellæ oſſis frontis, quæ conceptaculum cerebri a foraminibus oculorum diſtinguunt.

f. f. Locus, ubi hæ lamellæ cum intermedio oſſe cribriformi cohærent, multum depreſſus. Inde illæ verſus latera adſurgunt, multas inæqualitates acutiuſculas, multas depreſſiones, varia foramina habent, quæ in foramina oculorum penetrant.

g. g. Os cribriforme inſignis latitudinis, præſertim a parte poſteriore, ubi cum baſi & vicino proceſſu priore oſſis multiformis cohæret.

h. Criſta galli.

i. Foramen cœcum, inter dictam criſtam Galli,

Digitized by Google

li, & aliam k. ex media interna parte oſſis frontis adſurgentem.

l. Pars prior baſeos oſſis multiformis, cum oſſe cribriformi nexa.

m. Pars poſterior ejusdem baſeos, cum oſſe occipitis cohærens.

n. n. Proceſſus priores osſis multiformis.

* *. Foramina pro nervis opticis.

o. o. Proceſſus clinoïdei anteriores.

p. p. Proceſſus clinoïdei poſteriores.

q. Sella turcica.

r. Foramen, ad ſinum ſphænoïdalem penetrans.

s. Foramen pro ſecundo ramo quinti nervorum paris.

t. t. Foramina pro tertiis ramis ejusdem nervi.

v. v. Foramina, per quæ penetrant arteriæ carotides internæ.

†. †. Proceſſus laterales osſis multiformis.

w. w. Partes ſquammoſæ, multum excavatæ, inæquales, tenuisſimæ.

x. x. Partes petroſæ osſium temporum.

y. y. Foramina pro nervis auditoriis.

z. z. Fiſſuræ, per quarum partes anteriores pe-

ne-

netrant nervi octavi paris, per poſteriores autem ſeſe evacuant ſinus laterales duræ matris.

α. α. Partes mammillares osſium temporum.

β. β. Partes osſium verticis, quæ ſeſe interſerunt inter partes mammillares dictas, & os occipitis.

γ. Osſis occipitis pars, quæ cum baſi osſis multiformis nectitur.

δ. Foramen magnum.

ε. ε. Scrobes in oſſe occipitis, quibus accumbunt lobi cerebelli.

ζ. ζ. Similes ſcrobes ſupra criſtam, cui proceſſus laterales duræ matris adhærent, pro lobis poſterioribus cerebri.

η. Eminentia, quæ ſcrobes cerebelli diſtinguit.

ϑ. Similis, inter ſcrobes cerebri.

ι. Veſtigium ſinus lateralis dextri duræ matris.

κ. Veſtigium ſinus lateralis ſiniſtri.

λ. Veſtigium ſinus longitudinalis.

Fig. 2.

Pars ſuperior ejusdem cranii, ab interiore.

a. Frontis os.

b. Criſta in parte interiore hujus osſis, cum qua falciformis proceſſus nectitur.

c. Ve-

Digitized by Google

c. Veſtigium ſinus longitudinalis, verſus latus dextrum tendens.

d. d. Excavationes variæ hoc in oſſe.

e. e. Foraminum nonnullorum ſpecies.

f. f. Verticis oſſa, nulla ſutura ſagittali diſtincta, niſi parva admodum g. prope coronalem.

h. h. Coronalis ſutura.

i. Portio partis ſquammoſæ osſis temporis.

k. Os occipitis.

l. l. l. l. Loca varia, in quibus, abſumta lamella osſis interna, & diploë, vix quicquam de externa ſupereſt, adeo ut parvis foraminibus hæc etiam hiet.

m. Pars ſuturæ lambdiformis.

Vide Caput I.

Tabulae III.

Fig. 1.

Craſſi admodum cranii oſſa verticis, ſic ſecta, ut diſtantia inter internam externamque tabulam pateat, & ſimul degenerata diploë conſpiciatur.

a. a. Tabula interna ſeu vitrea.

b. b. Tabula externa.

c. c. Me-

Digitized by Google

c. c. Media diploë, rara, ſpongioſa.

d. Sutura ſagittalis.

Fig. 2.

Os verticis, alius cranii, craſsiſſimum, ſerræ ope per mediam longitudinem diviſum.

a. Lamella interna.

b. Lamella externa.

c. Subſtantia, media, compacta admodum, duriſsima, eburnea.

Fig. 3.

Ejusdem cranii os frontis, per transverſum diviſum, craſſiſſimum etiam & maxime ponderoſum.

a. Lamella vitrea.

b. Externa lamella.

c. Media ſubſtantia ejusdem naturæ, ac in præcedenti figura.

De his vide Caput II.

Fig. 4.

Pars ſiniſtra oſſis frontis, ex fungo duræ matris quam maxime degenerati, a parte priore ex-

hibita, ſic ut orbitæ interiora etiam conſpiciantur.

a. Pars oſſis ſuperior, quæ ſynciput format.

b. Latus externum.

c. c. Supercilium, craſſiſſimum, tuberculoſum.

d. d. Lamella, quæ ſuperiorem orbitæ partem conſtituit, & hanc a conceptaculo cerebri diſtinguit.

e. e. Eminentiæ aſperæ, acutæ, inæquales, quibus tota hæc pars orbitæ oppleta eſt.

f. f. Externa ſuperficies hujus oſſis ſupra glabellam, maxime tumida, quaſi fungoſa.

Fig. 5.

Idem os ſic delineatum, ut interior ſuperficies pateat, & partes, quæ in Fig. 4. verſus inferiora diriguntur, ſuperiora ſpectent.

a. a. Lamella, quæ ſuperiorem orbitæ partem conſtituit. Fig. 4. d. d.

b. Supercilii Fig. 4. c. c. pars inferior.

c. c. Latus externum. Fig. 4. b.

d. d. Pars oſſis frontis, quæ verſus os verticis tendit, cum eo coronalis ſuturæ ope connectenda, ſerræ ope non longe ab illa ſutura diviſa.

e. e. e. In-

Digitized by Google

e. e. e. Interior ſuperficies hujus oſſis, quæ tota quanta inæquabilis, exeſa, carioſa quaſi, exiſtit.

Fig. 6.

Idem os, tali exhibitum ratione, ut craſſities, quam medio loco habet, ubi ſinus frontales adſunt, demonſtretur.

a. Supercilium. Fig. 4. c. c. Fig. 5. b.

b. Lamella, quæ ſuperiorem orbitæ partem conſtituit. Fig. 4. d. d. Fig. 5. a. a.

c. Sinus frontalis pars.

d. Craſſities inſignis oſſis, mox ſupra ſinum.

e. Craſſities, ubi ad os verticis accedit.

f. Superficies interna lamellæ illius, quæ cavum conceptaculi cerebri a foramine oculorum diſtinguit, inæqualis & tuberculoſa.

Fig. 7.

Fungus ex dura matre enatus.
De his vide Caput III.

TABULAE IV.

Fig. I.

Plenaria concretio cranii, omnium vertebrarum cervicis, duarumque ſuperiorum dorſi: ab anteriore.

a. a. Oſſa jugalia.

b. b. Maxillaria ſuperiora.

c. c. Sinus pro articulo maxillæ inferioris.

d. d. Meatus auditorius.

e. e. Proceſſus ſtyliformes.

f. f. Proceſſus mammillares.

g. g. Margo poſterior palati oſſei.

h. Oſſis occipitis ea pars, quæ cum baſi oſſis multiformis conjungitur.

i. i. Partes poſteriores & inferiores oſſis occipitis.

k. k. Arcus anterior atlantis.

l. Tuberculum, in arcu anteriore Atlantis, cui intrinſecus excavato accumbit dens Epiſtrophei.

m. Parva fiſſura, quæ remanſit inter Atlantem, & marginem anteriorem foraminis magni.

n. n. Proceſſus transverſi Atlantis, inter quos &

Digitized by Google

& corpus ejusdem vertebræ conſpiciuntur foramina, quæ vaſa vertebralia transmittunt.

o. o. Corpus Epiſtrophei.

p. Dens ejusdem vertebræ, a cujus utroque latere apparet foramen quoddam.

q. q. Proceſſus transverſi hujus ſecundæ vertebræ.

r. Corpus vertebræ tertiæ.

s. s. Procesſus ejusdem vertebræ transverſi, apice bifido inſtructi.

t. Corpus vertebræ quartæ.

u. u. Procesſus transverſi ejusdem.

v. Corpus vertebræ quintæ.

w. w. Proceſſus hujus transverſi.

x. Corpus vertebræ ſextæ.

y. y. Proceſſus transverſi hujus vertebræ.

z. Corpus vertebræ ſeptimæ.

α. α. Procesſus transverſi ejus.

β. Corpus vertebræ ſupremæ dorſi.

γ. γ. Proceſſus hujus transverſi.

δ. Corpus vertebræ ſecundæ dorſi.

ε. ε. Procesſus transverſi hujus vertebræ.

ζ. Corporis vertebræ ſecundæ dorſi ſuperficies inferior, quæ cohæſit cum ſuperiore vertebræ tertiæ.

Digitized by Google

η. Proceſſus ſpinoſus hujus vertebræ.

*. Hiatus inter ſecundam tertiamque colli vertebram, ubi periit ſubſtantia cartilagineo-ligamentoſa, quæ corpora vertebrarum nectere ſolet. Similis hiatus inter tertiam & quartam, quartam, & quintam. &c. datur.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Confluxus plenarius corporis vertebræ ſecundæ & tertiæ colli a latere dicti hiatus *. Idem in ſubſequentibus vertebris omnibus locum habet.

Inter corpora vertebrarum foramina etiam conſpiciuntur, quibus exeunt nervi cervicales, dorſales; aliaque in proceſſibus tranverſis pro vaſis vertebralibus.

Fig. 2.

Eadem anchyloſis a parte poſteriore. Hac ex figura obliquus cranii, reſpectu cervicis, ſitus egregie patet.

a. a. Partes poſteriores & inferiores oſſis occipitis.

b. b. Partes mammillares oſſium temporum.

c. c. Proceſſus mammillares.

d. d. Pro-

Digitized by Google

d. d. Proceſſus ſtyliformes.

e. Margo poſterior foraminis magni, aliquantum ab arcu poſteriore atlantis diſtans, & cum eo non concretus.

f. f. Arcus poſterior atlantis.

g. Tuberculum, quod atlanti loco proceſſus ſpinoſi eſt.

h. h. Procesſus transverſi atlantis.

i. i. Confluxus & plenaria concretio condylorum oſſis occipitis cum ſinubus, in atlante inveniendis.

k. k. Partes poſteriores arcus epiſtrophei.

l. Proceſſus hujus vertebræ ſpinoſus, apice bifidus.

m. m. Concretio proceſſuum articularium atlantis & epiſtrophei.

n. n. Proceſſuum transverſorum apices.

o. o. Partes poſteriores arcus vertebræ tertiæ.

p. Proceſſus ſpinoſus.

q. q. Procesſus transverſi ejusdem vertebræ.

r. r. Partes poſteriores arcus vertebræ quartæ.

s. Proceſſus ſpinoſus.

t. t. Proceſſus transverſi.

u. u. Partes poſteriores arcus vertebræ quintæ.

v. Proceſſus ſpinoſus

w. w. Proceſſus transverſi.

x. x. Par-

Digitized by Google

x. x. Partes poſteriores arcus vertebræ ſextæ.

y. Proceſſus ſpinoſus.

z. z. Proceſſus transverſi.

α. α. Partes poſteriores arcus vertebræ ſeptimæ.

β. Proceſſus ſpinoſus.

γ. γ. Procesſus transverſi.

δ. δ. Partes poſteriores arcus vertebræ primæ dorſi.

ε. Procesſus ſpinoſus.

ζ. ζ. Proceſſus transverſi.

η. η. Partes poſteriores arcus vertebræ ſecundæ dorſi.

ϑ. Proceſſus ſpinoſus.

ι. ι. Proceſſus transverſi.

κ. κ. Proceſſus ejusdem vertebræ obliqui deſcendentes.

λ. Corporis vertebræ ſecundæ dorſi ſuperficies inferior, quae cohaeſit cum ſuperiore vertebrae tertiae.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Proceſſus articulares ſeu obliqui adſcendentes & deſcendentes omnium vertebrarum, plenarie concreti.

Vide Caput IV.

TA-

Digitized by Google

TABULAE V.

Fig. 1.

Eadem anchyloſis, a latere dextro viſa.

a. Os jugale.

b. Oſſis hujus proceſſus frontalis, ſeu ſuperior.

c. Ejusdem oſſis proceſſus prior ſeu maxillaris. Inter hunc & præcedentem margo lunatus eſt, qui orbitæ latus exterius conſtituit.

d. Oſſis jugalis proceſſus poſterior, cum zygomatico oſſis temporis nexus.

e. Os maxillare ſuperius.

f. Proceſſus lateralis oſſis multiformis.

g. Meatus auditorius.

h. Sinus pro articulo maxillæ inferioris.

i. Pars mammillaris oſſis temporis.

k. Proceſſus maſtoïdeus.

l. Proceſſus ſtyliformis.

m. Margo lateralis foraminis magni.

n. Condylorum oſſis occipitis cum atlante plenaria concretio.

o. Similis nexus arcus anterioris atlantis cum oſſe occipitis.

p. Pars lateralis atlantis.

q. Proceſſus lateralis dexter primæ hujus vertebræ.

r. Atlantis & Epiſtrophei anchyloſis.

s. Pars lateralis epiſtrophei.

t. Ejusdem proceſſus lateralis.

u. v. Pars lateralis & proceſſus vertebræ tertiæ.

w. x; y. z; $\alpha.\beta$; $\gamma.\delta$; $\epsilon.\xi$; $\eta.\vartheta$; Partes eædem vertebræ quartæ, quintæ, ſextæ, ſeptimæ colli, primæ & ſecundæ dorſi.

ι. Foramen inter vertebram infimam colli & ſupremam dorſi.

$\varkappa$. Foramen ſimile inter primam & ſecundam dorſi.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Corpora ſeptem vertebrarum colli.

8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Earundem proceſſus ſpinoſi.

15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Proceſſus obliqui adſcendentes & deſcendentes invicem concreti.

A. Corpus vertebræ ſupremæ dorſi.

B. Corpus vertebræ ſecundæ dorſi.

C. Proceſſus obliquus deſcendens ſeu articularis vertebræ ſecundæ dorſi.

D. E. Proceſſus ſpinoſi vertebræ primæ & ſecundæ dorſi.

Vide Caput IV. Fig. 2.

Digitized by Google

Fig. 2.

Anchyloſis maxillæ inferioris in latere dextro.

a. Os jugale.

b. Maxillare ſuperius.

c. Proceſſus zygomaticus oſſis temporis.

d. Pars mammillaris ejusdem oſſis.

e. Meatus auditorius.

f. Condylus maxillæ inferioris cum ſinu in oſſe temporis firmiter concretus, ſic ut eminentiæ & inæqualitates multæ adſint.

g. Proceſſus coronoïdeus maxillæ inferioris.

h. Pars lateralis dextra maxillæ.

i. Foramen, quo exit tertius ramus quinti nervorum paris.

k. Proceſſus, in quem deſinit latus dextrum maxillæ.

Vide Caput V.

Tabulae VI.

Fig. 1.

Eadem anchyloſis maxillæ inferioris Tab. V. Fig. 2. ab anteriore.

Digitized by Google

a. a. Margo alveolaris maxillæ ſuperioris, dentibus deſtitutus, & maximam partem deletus.

b. b. Similis margo maxillæ inferioris.

c. Mentum.

d. Foramen dextrum, quo exit tertius ramus quinti nervorum paris, multo minus quam in latere oppoſito.

e. Idem foramen in latere ſiniſtro.

f. Proceſſus inſignis ex angulo maxillæ inferioris dextro enatus, extrorſum incurvatus.

g. Similis minor ex angulo ſiniſtro.

h. Latus dextrum maxillæ, ab angulo dicto ad os temporis adſcendens.

i. Latus ſiniſtrum.

k. Condylus dexter plenarie cum ſinu oſſis temporis concretus.

Fig. 2.

Eadem anchyloſis ab inferiore viſa.

a. Margo maxillæ ſuperioris.

b. Mentum.

c. Proceſſus inſignis, ex angulo maxillæ inferioris dextro enatus, extrorſum curvatus.

d. Similis minor, ex angulo ſiniſtro.

e. e. e. Ca-

Digitized by Google

e. e. e. Capitulum maxillæ inferioris cum ſinu oſsis temporis & vicinis partibus firmiter concretum, inſignis extenſionis atque inæqualitatis.

f. Capitulum ſiniſtri lateris.

g. Tuberculum, quod a parte interiore menti eſt.

h. Palati oſſei margo poſterior.

Vide Caput V.

Tabulae VII.

Fig. 1.

Cranium, cum quo maxilla in latere ſiniſtro firmiter concrevit.

a. a. Margo alveolaris maxillæ ſuperioris.

b. Lunula in proceſſu naſali oſsis maxillaris ſuperioris, quæ foramen narium in latere ſiniſtro terminat.

c. Os jugale.

d. Dens molaris, ſuperiori maxillæ inhærens.

e. Alius, ei vicinus.

f. g. Dentes ſimiles duo, maxillæ inferiori infixi, & ſingulari ratione cum illis maxillæ ſuperioris nexi.

h. Ultimus dens molaris ejusdem lateris.

Digitized by Google

i. Exoſtoſis e parte interiore & laterali dextra maxillæ enata.

k. k. Margo alveolaris lateris ſiniſtri maxillæ inferioris.

l. Mentum.

m. Foramen, quo exit ramus tertius quinti nervorum paris.

n. Mucro, in quem angulus maxillæ deſinit.

o. o. Condylus ſiniſter cum ſinu oſſis temporis firmiter concretus.

p. Proceſſus coronoïdeus.

q. Zygoma.

r. Meatus auditorius.

s. Proceſſus mammillaris.

t. Proceſſus ſtyliformis.

Fig. 2.

Idem cranium a parte inferiore viſum.

a. a. Margo alveolaris maxillæ ſuperioris.

b. c. Dentes molares quatuor, ſuperiori & inferiori maxillæ inhærentes, ſingulari ratione invicem nexi.

d. d. Zygoma unius alteriusque lateris.

e. Condylus dexter maxillæ inferioris a ſinu oſſis temporis plane liber.

f. Pro-

Digitized by Google

f. Proceſſus coronoïdeus hujus lateris.

g. Mentum.

h. h. h. Condylus ſiniſter cum ſinu oſſis temporis & vicinis partibus firmiter concretus.

i. Exoſtoſis, ex interiore parte menti enata.

k. Similis major ex parte interna & laterali dextra proveniens.

Vide Caput V.

Fig. 3.

Pars anterior ſacci, quo aqua in hydrope peritonæi fuit contenta, multis tumoribus, diverſæ magnitudinis, obſeſſa.

a. a. a. a. Celluloſa, maxime degenerata, & in tunicam ſatis craſſam mutata, quæ ſano in ſtatu peritonæum muſculis abdominalibus nectit, nunc vero, ab eo multum remota, anteriorem ſacci hydropici partem conſtituebat.

b. b. b. Aponeuroſes muſculorum abdominalium, parum a dicta parte remotæ.

c. c. Parvi tumores, hac in parte conſpicui, quales innumeri aderant.

d. d. d. Similis tumor, ſed multo major, & in varios minores diviſus.

e. e. Tu-

e. e. Tumor ſimilis media parte ſectus, ut interiora pateant.

Vide Caput X.

Fig. 4.

Calculi duo, quorum inferior ſuo apice urethræ inhæſit, ſuperior, rotundus, inæquali & tuberculata ſuperficie gaudens, libere in ſinu prioris mobilis erat.

Fig. 5.

Longioris illius calculi pars ſuperior ſinuata, recipiendo alteri rotundo inſerviens.

Fig. 6.

Rotundus calculus ſolus.

Fig. 7.

Calculus cuneo formâ ſuâ ſimilis.

Fig. 8.

Idem calculus, ſic ſectus, ut cuneiformis figura melius appareat, & nucleus ſimul conſpiciatur.

Vide Caput XIV.

T A-

Digitized by Google

TABULAE VIII.

Fig. 1.

Circumferentia partis ſuperioris cranii prodigioſæ magnitudinis, quod Bonnæ adſervatur.

a. b. Duæ oſſis frontis partes.

c. d. Duo oſſa verticis.

e. f. Sutura ſagittalis, inter oſſa verticis decurrens.

g. Eadem ſutura, ubi os frontis dividit.

h. h. Sutura coronalis.

i. k. l. m. n. Separatum oſſiculum, inter verticis & frontis oſſa.

o. Simile oſſiculum, multo minus, in ſuturæ coronalis latere ſiniſtro.

p. Oſſiculum ejusdem naturæ majus in occipite.

Fig. 2.

Oſſiculum ſeparatum p. Fig. 1., prout ſeſe exhibet, quando cranii poſterior pars examinatur.

Digitized by Google

a. Sutura ſagittalis.
b. b. Sutura Lambdiformis.
c. Oſſiculum ſeparatum.
Vide Caput I. in not. ad pag. 4.

F I N I S.

Digitized by Google

I.

De mutationibus, quas oſſa cranii in hydrocephalo ſubire ſolent. pag. 1.

II.

De craniis præter modum craſſis. 30.

III.

De ſingulari oſſis frontis ex fungo duræ matris degeneratione. 39.

IV.

De concretione plenaria cranii, omnium vertebrarum colli, duarumque ſuperiorum dorſi. 45.

V.

De maxilla inferiore, in latere dextro, cum cranio firmiter concreta, aliaque ſimili vitio, in oppoſito latere, laborante. 54.

VI.

De cephalopharyngeo muſculo, alioque ſupernumerario in cervice viſo. 61.

VII.

De laryngis, aſperæ arteriæ, vaſorum, viſcerumque degenerationibus nonnullis. 63.

VIII.

De hepate maximo, ponderoſiſſimo, ſteatomatoſo, in cadavere icterici obſervato, alioque inſignem abſceſſum recondente. 76.

IX.

De fiſtuloſo pectoris ulcere. 85.

X.

De hydrope peritonæi. 95.

XI.

De renis dextri & veſicæ urinariæ notabili ulcere. 103.

XII.

De iſchuria lethali. 109.

XIII.

De atreſia ani. 118.

XIV.

XIV.

De calculis duobus rarioris figuræ. 123.

XV.

De crure præter modum tumido. 125.

XVI.

De palato molli uvulaque a nativitate fiſſis, absque ulla alio oris interni vitio. 128.

XVII.

De forficula viva naribus excuſſa. 130.

Tabularum Explicatio. 132.

Digitized by Google

INDEX RERUM.

Abſceſſus hepatis notabilis magnitudinis. 80.
—— —— ſub oſſe pectoris inter pleuras. 88. Unde cognoſci poſſit. 90. Quid natura in tali caſu ſubinde faciat. 90. 91. & not. a. Quomodo ars naturam imitari poſſit. 94. Examen anatomicum talis abſceſſus. 88. 89. ſeq.
Acephalorum ita dictorum ortus an adſcribendus aquæ in cavo calvariæ collectæ? 26. ſeq.
Anchyloſis cranii, omnium vertebrarum colli, & ſuperiorum duarum dorſi. 45.
—— —— maxillæ inferioris in latere dextro. 54. in latere ſiniſtro. 59.
Ani atreſia ſanata. 119. Lethalis, & hujus a morte examen. 120.
Apoplexia, per fungum duræ matris producta. 40.
Aqua, in ſpecu vertebrarum collecta, ſpinam bifidam producit. 28.
Aquæ collectio in capite frequentiſſima. 2. Ea non ſolum in molliſſimas partes agit, ſed & oſſa vario modo adficit. 6. 10. 12. ſeq. 19. 24. An acephalorum ortus inde derivandus? 26.
—— inſignis copia in hydrope peritonæi. 98.
Arteria aſpera in tres bronchos fiſſa. 65.
—— pulmonalis ferme clauſa. 71.
Arteriæ duæ, in alio corpore quatuor, ex arcu aörtæ prodeuntes. 5.
Atreſia ani V. Ani atreſia.
Azygos vena duplex. 65.
Cæcitas, fungo duræ matris, indeque natæ oſſis frontis degenerationi, adſcribenda. 40.
Calculi figuræ inſolitæ. 123.
—— poſt iſchuriam lethalem magno numero in veſica inventi. 114.
Cartilagines coſtarum male conformatæ. 87.
—— laryngis a ſolita forma abludentes 64. oſſeæ. 64.
Cephalalgia ex fungo duræ matris, & oſſis frontis degeneratione. 40.
—— expulſo ex naribus infecto ſanata. 130.
Cephalopharyngei muſculi deſcriptio. 62.

Coli

Coli inteſtini ſingularis decurſus. 74.
—— —— expanſio notabilis in cadavere infantis, ex atreſia ani mortui. 120.
Cor poſt externam læſionem, natum inde abſceſſum, eumque ſanatum, nudum ſeſe oculis exhibens. 93. not. c.
Cordis & pericardii concretio. 66.
—— conformatio ſingularis. 71. Symptomata varia, inde producta. 68.
—— ovale foramen in adulto apertum. 67. An hoc, antea clauſum, iterum aperiri, vi disrumpi, poſſit. 67. ſeq.
—— ſuppuratio parva ſuperficialis. 80.
Crania in hydrocephalo diverſas ſubeunt mutationes. 4. 6. 10. 13. 21. 25. Talium deſcriptiones, infantis neonati, qui ſimul ſpina bifida laborabat. 6. Alterius, ſimili pariter morbo vexati. 10. Fœminæ junioris. 13. Obſervata aliorum. 21.
Cranii ſtructura alia in fœtu, alia in adulto. 1.
—— vertebrarum omnium colli, duarumque ſuperiorum dorſi, plenaria concretio. 45.
Cranium prodigioſæ magnitudinis deſcriptum. 2. not. a. 19. 21. alterius dimenſiones. 4. in not.
—— —— tenuiſſimum. 15. Craſſiſſimi exempla varia. 30. ſeq. Aliorum obſervationes. 37.
Cruris præter modum tumidi anatomicum examen. 126.
Dentium ſingularis nexus in cranio, cui maxilla inferior accrevit. 59.
Diaphragma maxime incraſſatum. 88.
Duræ matris fungus, varia mala producens. 40.
Exoſtoſes, ex maxilla inferiore enatæ. 61.
Extremitatum infirmitas, torpor, paralyſis, ex fungo duræ matris. 40.
Fiſtulæ pectoris, ad interiora penetrantes. 85. Harum anatomicum examen. 86.
Flurantii veſicæ puncturam inſtituendi methodus laudata. 113. Examen partium per quas inſtrumentum tranſiit. 115.
Foramen ovale in adulto apertum. 67. An hoc, antea clauſum, iterum aperiri, vi disrumpi poſſit. 67. ſeq.

For-

Forficula viva, naribus expulſa. 130.
Frontis oſſis ſingularis degeneratio ex fungo duræ matris. 39. ſeq.
Fungus duræ matris, diverſorum malorum cauſa, & ſingularem degenerationem in oſſe frontis producens. 39. ſeq.
Hepar corruptum, cum diaphragmate concretum. 89.
Hepatis maximi, ponderoſiſſimi, ſteatomatoſi, deſcriptio. 78. Alius, inſignem abſceſſum recondentis, anatome. 80. Obſervationes aliorum. 82.
Hydrocephalus, ſæpe connatus, aliquoties in adultis obſervatur. 2. In hoc morbo compages oſſium omnium cranii mutatur. ib. Sæpe cum ſpina bifida conjungitur. 3. Craniorum infantum, hoc morbo mutatorum, deſcriptiones. 4. 10. Adultæ fœminæ. 13.
Hydrops peritonæi. 95. Quis primus hunc morbum obſervaverit. 102. Hiſtoria talis morbi. 95. Anatomicum examen. 98.
Icteri ſigna nulla obſervata, etiamſi multum laboraverit hepar. 80. 82.
Icterici cadaveris examen. 77.
Inſectorum, naribus excretorum exempla. 130. 131.
Inteſtina inflammata, gangrænoſa. 88.
Inteſtinorum ſitus inſolitus. 74. Propter hepar maximum, ſteatomatoſum. 77.
Inteſtinum rectum minima apertura hians. 119. Membrana intrinſecus clauſum. 120.
Iſchuria lethalis. 109. Symptomata in ægro obſervata. 110. Cadaveris ſectio. 112.
Laryngis cartilagines, a ſolita forma abludentes. 64. Oſſeæ. 64.
Mania, poſt expulſos ex naribus vermes, ſanata. 113. not. b.
Maxillæ inferioris anchyloſis, in latere dextro. 55. In latere ſiniſtro. 59.
Membranæ cavorum, in cadavere icterici, flavo colore tinctæ. 79.
Muſculi cephalopharyngei deſcriptio. 62. Alius inſoliti, in cervice viſi. ib. 63.
Muſculorum, ſuram conſtituentium, ſingularis degeneratio. 127.
Oſſicula ſuturarum varia, inſolitæ magnitudinis, diverſis in locis obſervata. 4. in not.
Oſſis

Oſſis frontis ſingularis degeneratio ex fungo duræ matris. 39.
Oſſium cranii in hydrocephalo mutationes variæ. 4. ſeq.
Ozæna, poſt expulſam forficulam vivam, ſanata. 130.
Palatum molle, una cum uvula, a nativitate fiſſum, absque ullo alio oris interni vitio. 128.
Paralyſis extremitatum inferiorum ex fungo duræ matris. 40.
Pectoris ulcera fiſtuloſa. 85. Horum anatomicum examen. 86.
Pericardii cum corde concretio. 66.
Peritonæi hydrops V. Hydrops.
—— —— in hydrope ſingularis degeneratio. 99. ſeq.
Pia mater craſſiſſima. 82.
Pleuritis ſuppurata, disrupto in locis intercoſtalibus abſceſſu, ſubinde ſanata eſt. 92. & not. b.
Proſtata inſignis magnitudinis, ſcirrhoſa. 114. Degenerationes hujus partis a multis obſervatæ. 117.
Pulmonalis arteria ferme clauſa. 71.
Pulmonum cum pleura concretio in infante neonato. 66.
Renis dextri & veſicæ urinariæ ulcus notabile. 103. Symptomata in ægro obſervata. 104. Cadaveris examen. 106.
Sinuum frontalium abſentia. 23.
Spinæ bifidæ ortus. 27. Morbi hujus natura duobus exemplis illuſtrata. 28. 24.
Steatomata in externa hepatis ſuperficie, & interna ipſius ſubſtantia viſa. 79. Similis generis tumores inter abdominales muſculos & peritonæum in hydrope peritonæi obſervati. 99.
Sterni trepanatio a Galeno laudata. 91. not. a. Ab aliis optimo cum ſucceſſu inſtituta. 95.
Terroris effectus ſingulares. 68. 71.
Thorax multum compreſſus. 79.
Trachea in tres bronchos fiſſa. 65.
Trepanatio ſterni V. Sterni trepanatio.
Tumor cruris enormis magnitudinis. 125. Symptomata, in ægra obſervata. ib. Examen anatomicum hujus cruris. 126.
Tumores in externa hepatis ſuperficie obſervati. 79.
——— intra veſicam urinariam prominentes. 114.
——— ſingularis naturæ, variæ magnitudinis in celluloſa, quæ peri-

peritonæum muſculis abdominalibus nectit, in hydrope peritonæi viſi. 99.
Tumorum, qui ſubinde matrici extrinſecus accreſcunt, primum initium. 75.
Ulcus quomodo & quando ſanari poſſit. 90.
Ureteris dextri degeneratio ſingularis. 107.
Urinæ ſuppreſſio lethalis. 109.
Uterus per pſeudomembranas partibus viciniis accretus. 75.
Uvula, cum palato molli, a nativitate fiſſa, absque ullo alio oris interni vitio. 128.
Vena azygos duplex. 65.
Ventriculi ſiniſtri cordis dilatatio aneurysmatica. 71. 72.
Ventriculi ſitus inſolitus. 75.
Vermes naribus expulſi. 131.
Vertebrarum in ſpina bifida mutationes. 28. 29.
——— omnium cervicis, ſuperiorum duarum dorſi plenaria concretio inter ſe & cum cranio. 45.
Veſicæ urinariæ & renis dextri ulcus notabile. 103. Symptomata in ægro obſervata. 104. Cadaveris examen. 106.
——— poſt iſchuriam lethalem inſignis expanſio etiamſi veſica per inteſtinum rectum fuerat evacuata. 113.
——— punctura per rectum inteſtinum inſtituta. 112.
Examen partium, per quas inſtrumentum tranſiit. 115.
Veſicula fellis inſoliti habitus. 80.
Wormiana oſſicula inſolitæ magnitudinis in ſutura lambdiformi, coronali, & ſagittali, obſervata. 4. in not.

Digitized by Google

APUD S. ET J. LUCHTMANS,

P. v. D. EYK ET D. VYGH,

Proſtant.

EDUARDI SANDIFORT Obſervationes Anatomico-Pathologicæ Lib. I. II. III. IV. Lugd. Bat. 1777. 1778. 1779. 1781. 4°. cum fig.

—— —— —— —— Exercitationes Academicæ. Lib. I. ibid. 1783. Lib. II. 1785. 4°. cum fig.

—— —— —— —— Tabulæ inteſtini duodeni. Ibid. 1780. 4°.

—— —— —— —— Icones herniæ inguinalis congenitæ. Ibid. 1781. 4°.

—— —— —— —— Anatome infantis cerebro deſtituti. Ibid. 1784. 4°. cum fig.

—— —— —— —— Deſcriptio muſculorum hominis. Ibid. 1781. 4°.

—— —— —— —— Theſaurus Diſſertationum, Programmatum. &c. Vol. I. II. III. 4°. cum fig.

A. VESALII Tabulæ oſſium humanorum, denuo edidit, earumque explicationem adauxit ED. SANDIFORT. Ibid. 1782. Folio.

Digitized by Google

B I B L I O P E G O.


Tabulæ omnes pone indicem rerum collocandæ, ſic ut Tab. I. huic paginæ opponatur.

AAN DEN BOEKBINDER.

Alle de plaaten moeten agter den bladwyzer der zaaken geplaatst worden, zoo dat Tabula I. tegen over deeze zyde kome.

Digitized by Google

Fig. 2.



R. Mayo. omnes. ſculps.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google